IO. GEORGII PRITII, ... DE STATU RELIGIONIS CHRISTIANAE IN REGNO SINENSI OB CULTUM CONFUTII...

Johann Georg Pritz, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
ILLVSTRI
OLAO HERMELINO,
INVICTISSIMO SVECORVM REGI,
CAROLO XII,
A SANCTIORIBVS,
SALVTEM PERPETVAM DICIT
IO. GEORGIVS PRITIVS.

QVamuis te, Vir illuſtris, quum potentiſſimum Succiae Regem, victricibus armis tot terrarum ſpatia emetientem, ſequaris, plurimis iisque grauiſſimis occupationibus diſtineri neceſſe ſit; nec adeo te aliorum meditationibus perluſtrandis vacare poſſe, facile inducam animum; veniam tamen a ſingulari tua humanitate, quam vno omnium ore vehementer depraedicari audio, quamque, quum ante biennium verſareris in Saxonia, mihi, alias ignoto, pro tam obuia naturae tuae bonitate abunde & declaraſti & promiſiſti, ſpero me eſſe obtenturum, quod opuſculum hoc, celeberrimo tuo nomini inſcriptum, hic tibi legendum offeram. Placuit diuino Numini, ſapientiſſime vitae noſtrae rationibus moderanti,

Digitized by Google

placuit & ſereniſſimo Sueciae Regi, principi ob tot admirandas virtutes toti orbi venerando, vt in regia Pomeranorum academia ſacra deinceps iuuentuti inſtillem dogmata. Acceſſi igitur, vt diuinae voluntati, vt regiae vocationi morem obedienter geram, in hunc locum, & nunc id ago pro qualibuscumque viribus, vt, ſi tanti ſpem principis, quod longe eſſet grauiſſimum, & meas excederet facultates, non omni ex parte expleam, aliquo tamen modo eidem ſatisfeciſſe videar. Enimuero nihil in vita mihi continget gratius, quam ſi ſub auſpiciis & tutela incomparabilis Regis dabitur mihi ſacris litteris tum excolendis tum docendis me tradere totum. Nec erit mihi optatius quicquam, quam ſi a me ſtudiorum meorum aliquis fructus in iuuentutem, bonae menti operantem, atque in eccleſiam puriorem redundare poſſit. Id dum conor, te adpello, Vir illuſtris, vt tuo me porro complectaris fauore, atque hominem in oris iſtis peregrinum, ceterum & bonas artes, in quibus tu principatum aliquem geris, ab ineunte adoleſcentia tenere deamantem, ac ſacratiores doctrinas, quibus ad felicem aeternitatem nobis panditur aditus, ante omnia habentem, & de iisdem propagandis ſtudioſe adlaborantem, inter illos numeres, quibus tuam accommodas beneuolentiam, quorumque conatus, pro ſumma, qua polles, auctoritate foues & adiuuas. Id me impetraturum a te eſſe, vel hoc conuincor argumento, quod ea ſit magnorum virorum indoles, vt, quum ipſi ſint omni diſciplinarum genere exculti, ſtudioſos illarum omnes eximio proſequantur amore, veluti quos norunt virtutum ſuarum atque

Digitized by Google

meritorum ſinceriſſimos eſſe cultores. Neque dubito quum iam pridem elegiam in glorioſiſſimum Regem noſtrum in Saxonia tibi a me oblatam, admodum beneuole exceperis, quin hic eamdem, typis nunc exſcriptam, vna cum biga orationum, de negotio in Romana eccleſia valde impedito, agentium, benigna fronte ſis accepturus. Quamuis enim, quae oratorum ſunt, requirere hic poſſes; argumentum tamen fortaſſe non diſplicebit. Deum religioſe adoro, vt CAROLO *XII, regum eminentiſſimo, iuſtiſſimam cauſſam contra saevientem periuri hoſtis ferociam armis vindicanti, proſperrimos porro elargiatur euentus, pacemque demum, tot votis expetitam, plena comparata victoria, in Suecicas reducat prouincias, & eadem Suecicam nationem ipſam, fama, per tot ingentia facinora glorioſe parta, ſub indulgentiſſimo felicisſimoque Rege in beata tranquillitate perfrui faciat: tibi vero, Vir excellentisſime, animi corporisque vires ſeruet illibatas & integras, vt res a Rege inuicto geſtas, easque omnem prope ſuperantes fidem, non minori fide & dexteritate, monumento aere perenniore, tradere queas poſteris, quam quanta fortitudine & animo, quantaque prudentia a tanto heroe fuerunt adminiſtratae. Tum enim admirabitur orbis, tanta miracula ab vno tam egregie patrari; ab altero autem tam pulchre deſcribi potuiſſe; gratulabiturque ſibi hoc ſaeculum de tanto principe, principi vero de tanto factorum ſuorum praecone. Vale ſaeculi noſtri decus, & meum praeſidium. Gryphiswaldiae pridie Cal. Mart. A. O. R. ↄIↄ Iↄcc IX.*

Ad

AD
LIPSIAM
CVM
COLLEGAM DARET MVLTIS EXPETITVM VOTIS,
VIRVM MAXIME REVERENDVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
DN. D. IO. GEORGIVM PRITIVM, P.P.
IO. FRID. MAYER, LIPS. D.
ACADEMIAE REGIAE PROCANCELLARIVS
ET PROF. THEOL. PRIMARIVS.

Lipſia diues auis, dulciſſima, Lipſia, mater,
Quam dilecta mihi! quam veneranda mihi!
Lipſia, quos habui, produxit cara parentes;
Iam cineres gremio protegit illa ſuo.
Lipſia claudit auos proauosque abauosque ſepulcro,
Quotquot MAYEROS ſecula trina dabant.
Lipſia me genuit, mihi contulit illa magiſtri,
Doctoris mitram contulit illa mihi.
Suggeſtu poſuit primum me Lipſia ſacro,
Bis cathedra voluit me decorare ſua;
Sed qui ſupremo moderamine cuncta gubernat,
Is me diuerſam iuſſit inire viam.
Non tamen, a patria quam ſum procul ipſe remotus,
Tam procul eſt patriae corde remotus amor.
Dulce ſolum patriae, patriae quoque dulcis imago,
Semper in aure ſonat, ſemper in ore volat.
Et me corde gerit memori mea Lipſia; teſtis
Filius en! PRITIVS, quem mihi miſit, adeſt.
Quos olim dederat mihi Lipſia mater honores,
Illos et PRITIO vidimus eſſe datos.
Quos poſt commiſit mihi Gryphica noſtra labores,
His comes et PRITII debuit eſſe labor.
Ore laboramus iuncto, iunctisque lacertis
Vincimus, et palmae gloria iuncta manet,
O Deus! vsque magis noſtris eccleſia creſcat
Niſibus, et noſtra patria ſurgat ope!
Patria, quae borea voluit coniungere fratres,
Quam borea fratrum lumina laeta vident.
In PRITII vultu mihi Lipſia cernitur, illi
Cernitur in facie Lipſia cara mea.
Dum Pomeranorum nos haec academia cinget,
In media ſilua Lipſia Gryphis erit.
Sic ego, ſic Pritius, *ſic* Lipſia *viuimus vna;*
Noſter in aeternum non morietur amor.

IO.

IO. GEORGII PRITII, D.

DE

CONTROVERSIA

CIRCA CVLTVM, CONFVTIO A SINENSIBVS PRAESTITVM, IN ECCLESIA ROMANA INTER SOCIETATIS IESV PATRES ET DOMINICANOS

HOC TEMPORE ACERRIME AGITATA

O R A T I O,

IN ILLVSTRI PANEGYRI
AD DIEM VII. NON. IVL.
A. O. R. cIɔ Iɔ ccIV.
SCHLAIZAE VARISCORVM
IN TEMPLO VRBIS
HABITA.

Digitized by Google

MEMORIAE
MAXIME REVERENDI PRAESVLIS,
M. IO. GABRIELIS HARTVNGII,
CONSECRATVM.

NOn equidem noſtris, Praeſul venerande, Camoenis
Indiguit meritis laus Tua fulta ſuis.
Iam dudum aeterno virtus HARTVNGIA plauſu
Tollitur, & famam conficit ipſa ſibi;
Quae volat, & mundo praeſtantes nuntiat artes,
Quicquid & ingentem praebuit eſſe virum;
Sanctorum in primis ſpecimen venerabile morum,
Atque ephorum, columen grande, decusque gregis.
Talis erat, *fatur*, Ruthena HARTVNGVS in vrbe,
Quum regeret populum, vir ſine labe, ſacrum.
Talis erat; ſed nunc ſplendentibus additus aſtris
Fulget in excelſo ſtella corruſca polo.
Iactitet HARTVNGVM quantumuis fama per orbem;
Dignior vt fama perpete nemo fuit:
Nos tamen & cultu cur non tollamus eundem
Praecipuo, quantum tollere poſſe datur?
Cum nos tam multo cum noſtris pignore totos
Reddidit HARTVNGVS tempus in omne ſuos:
Nempe viri illuſtris virtus, non vnius aeui,
Obſtringit toties ſaecla futura ſibi,
Dum viduas a fame pias defendit & arcet;
Mortuus & toties ſe facit eſſe patrem.
Nam fovet & viduas pupillorumque catervam:
Numinis exemplo, tam quod utrosque fovet.
Quam ſibi nunc belle gens orba parentibus eſſe
Gaudet, & ereptis gens viduata viris!
Tam bene qui ſera de poſteritate meretur,
A cuncta eſt meritus poſteritate coli.
In vita prodeſſe ſuis, ſat laudis habetur;
Hic etiam miſeros poſt ſua buſta iuuat.
Se quisquam monſtrare queat maioribus actis?
HARTVNGVS fecit, quod facit ipſe **DEVS.**

IO. GEORGIVS PRITIVS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMI COMITES,
DOMINI CLEMENTISSIMI,

VIRI
GENEROSI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CLARISSIMI ET PRVDENTISSIMI;
TVQVE
PASTORVM DE ECCLESIA BENE MERENTIVM VENERANDA CONCIO.

QVum omnes vtique, qui de hominum genere quibuscumque rebus geſtis, dum vita manebat, bene mereri ſtudioſe adlaborarunt, laudem a poſteritate mereantur & gloriam; quod enim aliud praemium perſolui illis a viuentibus poteſt, qui mortalium rebus exemti nec hominum auxilio & ope amplius indigent; nec ab hominibus iuuari vlla ratione poſſunt? tum vero illi in primis hoc decore ſunt cohoneſtandi, qui de hominum mentibus praeclaris ſcientiis imbuendis atque ad virtutis ſtudium traducendis cogitationes perpetuo ſuſceperunt praeclaras. Sed omnium maxime haec grati animi ſignificatio hominibus debe-

Digitized by Google

tur, qui ad aeternam felicitatem percipiendam aliis fuerunt auctores atque duces. Quanto enim corpore praeſtat animus, cupiditate ſua bonis aeternum duraturis imminens; quanto euanidae felicitati beatitudo, nullis ſaeculorum periodis terminanda, anteferri debet; tanto quoque magis ſuis homines deuinxerunt meritis viri illi praeſtantiſſimi, tantoque excellentiori proſequendi ſunt honoris teſtimonio. Quod ſi vero vtramque viam fuerint ingreſſi, vt & ad mentes ſolidis bonis collocupletandas fuerint viribus omnibus connixi, & de cetero, ſi quid in facultatibus habebant, id in aliorum vſus diſpenſauerint, cum vitali aura adhuc fruerentur, & diſpenſandum iuſſerint mortalitatis exſuuias depoſituri: tum vero confitebuntur omnes, viros eiusmodi, veras humani generis delicias, omnium praeconiorum forma eſſe cunctorum ore concelebrandos.

Quid exiſtimatis igitur auditores ſplendidiſſimi, Gabrielem Hartungum, ſacrorum in hac vrbe antiſtitem, totiusque dioeceſeos Schlaizenſis ephorum, virum & doctiſſimum, & in rebus eccleſiaſticis peritiſſimum; iam vero caeleſtium mentium ordinibus poſt beatiſſimam mortem adſcriptum, his in terris fuiſſe promeritum? quum ille, quod ipſius praeſertim erat muneris, per aliquot annorum decades gregem ſibi commiſſum ſaluberrimis doctrinis ad omnem morum honeſtatem, ad omnem virtutum chriſtianarum cultum, & ad verae pietatis exercitium; denique ad conſectandam amplectendamque veriſſimae ſalutis rationem beatitatemque

num-

Digitized by Google

numquam deſituram informare curae cordique habuerit. Sed quum diuina benignitas multa in ipſum largiſſima manu contuliſſet, quibus ea comparantur, quae vel ad vitae praeſidia vel ad ornamenta pertinent, id ſibi agendum eſſe putabat, vt fortunis tam amplis tamque ſplendidis, quibus redundabat, ad ſortem aliorum ſubleuandam prudenter atque commode vteretur. Hinc illae frequentiſſimae largitiones, quas in indigentiores ipſe effundebat potius, quam conferebat. Ecquis enim fuit, qui ipſius vnquam efflagitauerit opem, & non votis potitus ſuis redierit felix ſibi atque beatus? Hoc vero cum per omne vitae tempus ſedulo atque induſtrie perfeciſſet humanitatis atque beneficentiae ſingularis officium; tum autem vel maxime, cum ſupremi Numinis iuſſu de ſtatione ſua decedendum ſibi eſſe perſpiceret, praeſtantiſſima inuſitatae munificentiae poſt ſe reliquit ſpecimina. Teſtes hic adpello ſupremae illius voluntatis tabulas, ex quibus cum admiratione intelligimus, vt ille inexhauſtae bonitatis fons beneficiis poſt fata quoque ſua in tot diuerſorum ordinum homines abundantiſſime exuberare voluerit; hoc ipſo ad omnium ſaeculorum memoriam docens, qua ratione opes innocenter partae & haberi modeſte, & ad communem vtilitatem conuerti ſapientiſſime poſſint. Parum eſt, quod haud contemnendam pecuniae ſummam pauperibus legaret, de qua qui rediret cenſus, quotannis in ipſos diſtribuatur; parum & id erat, quod templo vrbis trecentorum florenorum donationem teſtamento ſuo addiceret; parum & id erat,

quod inſtructiſſimam bibliothecam, pretio ſuo bis mille florenos ſuperantem, eidem templo ad vſum publicum conſecratam eſſe mandauerit: illud profecto omni praedicatione digniſſimum eſt, quod mille florenos ex copiis ſuis adſignauerit, quo conſtitueretur aerarium, vnde paſtorum eccleſiae viduis certe quam opportune proſpiceretur. Quae tanta ſunt encomia, Auditores, quibus beatiſſimus Hartungus non efferendus ad caelum, non ad omnem poſteritatis memoriam dilaudandus, honorificentiſſimeque commendandus ſit? Aut fallor egregie, aut iſte demum cultus eſt, qui viro tam impenſe de ſua eccleſia deque poſteris merito, debetur. De Sinenſibus referunt, qui de rebus ipſorum commentantur, genti huic, inter omnes ad ſolem orientem poſitas ſapientiſſimae, in more eſſe poſitum, defunctos ſuos, parentes & auos, ad quartum vsque generationis gradum ſingulari prorſus cultu deuenerari. Aedes illis in domibus ſuis dedicant ſacras, in quibus tabulas collocant, ex ligno caſtaneo confectas, quibus cubitalibus litteris inſcribunt haec verba: *Thronus* ſeu *ſedes animae*; adiuncto illius nomine & dignitate, cuius honori deſtinatur iſta dedicatio. In medio autem harum aedium reponitur menſa ſeu altare, in quo res ſacra confici poteſt; quales & circumcirca vna cum tabellis conſpiciuntur. Certis itaque anni vicibus, praecipue autem vere atque auctumno, magno adparatu oblationem ſolemnem ſeu ſacrificium, quam *Ci* adpellitant, celebrare ſolent. Ipſo ſolennitatis die ante galli cantum magna frequentia conueniunt ad locum conſecra-

Hiſtoria Cultus Sinenſium in Actis Eruditor. anno cIↄ Iↄcc. p. 173.

ſecra-

ſecratum conſanguinei; & tum accenſis ſuper altare cereis cum turis ac odorum ſuffitu magiſter caerimoniarum, ex primoribus familiae vna cum aliis, ſacerdotum veluti munere functuris, ſelectus alta voce exclamat: *flectenda eſſe genua:* nec mora vlla; confeſtim enim omnes coram tabula ter aut quater genua flectunt, terramque fronte ſua percutiunt, vno interim ex miniſtris certas recitante precationum formulas. Quum deinde rurſus magiſter caerimoniarum exclamat; *leuate*, ſinguli ſe iterum in pedes erigunt. Tum vero qui praecipuus miniſter eſt, conſiſtens ad altare, calicem, vino repletum, ſuſtollit in altum, clamante magiſtro caerimoniarum: *offertur vinum;* quod partem libatur, partem vero ſuper figuram hominis ſtramineam, circa illa loca collocatam, effunditur. Poſtea quoque animalia, eum in finem pridie mactata, caerimoniis certis offeruntur, clamante non minus caerimoniarum magiſtro: *offertur capra vel porcus.* Atque eumdem in modum offeruntur & flores, fructus, legumina, panni ſerici, nummi papyracei, adhibitis ad ſingulos actus ab vno ex miniſtris variis precationibus. Quae cum ſingula rite ſunt peracta, denuntiatur a magiſtro caerimoniarum adſiſtentibus: *iam exſpectanda ipſis eſſe ob cultum progenitoribus ſuis exhibitum proſpera omnia, ſalutem ſcilicet corporis, fructuum vbertatem, laetam filiorum progeniem, longam honorum & dignitatum ſeriem; & vitam denique diuturnam.* Atque hic ipſe eſt cultus, qui etiam Confutio, ſapientiſſimo Sinarum philoſopho, in toto, qua patet, regno, maximo hominum concurſu exquiſitiſſimisque ſolen-

lennitatibus bis in anno praeſtatur. Nos vero haudquaquam tanto nunc adparatu habemus opus, Hartungum, virum de hac eccleſia atque dioeceſi ſua non aliter ac parentem inſigniter meritum, cultu aliquo ornaturi; nec ipſe caeleſti corruſcans gloria hunc ſibi honorem deferri poſtulauerit. Iſte vero iuſtisſimus erit honor, quo poſſumus eumdem in hoc mundo adficere, ſi, quoad viuimus, memoriam eius grato animo atque ore uſurpamus, & quae ipſe ſuprema voluntate conſtituit, recte perficiamus, recteque conſtituta ad poſteritatem, ſi qua futura eſt, integra omni conatu transmittamus.

Atque hunc in finem, vos fratres venerabiles, huc eſtis conuocati, vt qua ratione res quam prudentiſſime, quamque firmiſſime poſſint diſponi, vna nobiscum decernatis. Interim dum vos hunc in locum contuliſtis praeſentes, dumque ego ex hoc ſuggeſtu praeter morem adloqui vos ingreſſus ſum, video poſtulatum a me iri, vt paullo vberiori vos ſermone detineam. Quum ergo de cultu Sinenſium, quibus defunctos ſuos, & ante omnes Confutium, honorare conſueuerunt, inieci antea mentionem, cumque nunc in eccleſia Romana de cultu hoc Confutii inter primarias virorum religioſorum familias acerrimae vigeant diſceptationes, in eam deſcendi opinionem, non alienum fore neque a perſona mea, neque ab hoc ſplendidiſſimo coetu, neque ab ipſo hoc loco, ſi de controverſia illuſtri in Romana eccleſia circa Confutii cultum hoc tempore, feruentiſſimis agitata ſtudiis, ad exigui temporis ſpatium diſſeruero. Quod dum facere inſtituo,

vos,

vos, illuſtriſſimi comites, vosque fratres veneran-di, vos denique auditores, quotquot adeſtis, hono-ratiſſimi, ſubjectiſſimo ſtudio amiceque obteſtor atque rogo, vt mihi, de re haud inutili & iniucunda, quanquam indiſerta oratione, dicturo, aurium o-peram gratioſe atque beneuole accommodetis.

Quum ergo de cultu, quem ſolertiſſima Sinen-ſium natio Confutio, viro in illis orientis partibus celebratiſſimo, ſumma animi promtitudine ſollici-tisſimeque exhibet, dicere ſusceperim, ſentio mihi imponi neceſſitatem, vt, antequam altius proue-har, ecquis hominum fuerit Confutius, breuibus edoceam. Quamuis enim neminem, qui paullo ſit humanior, exſiſtere cenſeam, qui non aliquan-do vel auditu perceperit, vel lectione intellexerit, Confutium antiquiſſimum ſapientiſſimumque Si-nenſium fuiſſe philoſophum; erunt tamen fortaſſe, qui viri effigiem paullo accuratius delineatam a me ſibi exponi requiſituri ſunt. Horum igitur vt deſideriis ſatisfaciam, pauca omnino, vt arctis ſa-ne limitibus incluſi ſumus, de principe hoc apud Sinenſes philoſophorum cemmemoranda ſunt. Confutius, qui domeſtico nomine Kieu dicitur, cognomento Chum nhi, natalem ſedem in regno Xan Tum habuit; natus imperii faſces moderante imperatore Lim Vam anno ante natum mundi Saluatorem quingenteſimo quinquageſimo primo, ſiue, vt vir clariſſimus, Chriſtianus Mentzelius, calculum ducere videtur, quingenteſimo ſexageſi-mo ſecundo. Circa quod tempus ingenioſe adno-tatur a viro aliquo eruditiſſimo, illud in idem ſae-

Couplet in *Vita Confutii* p. CXVII. ſeqq.

Chriſt. Men-tzelius in *Chronolog. Imperat. Si-*

B culum,

nic. Germanice edit. p. 44. 45. La Mothe le Vayer Tom. V. de ſes Oeuvres de la vertu des payens p. m. 238.

culum, quo in lucem editus eſt Socrates, incidere; vt adeo eadem aetas homines duos, quos tota vmquam gentilitas habuit, ſapientiſſimos virtutisque ac honeſtatis cultores vindicesque ſtudioſiſſimos produxerit; addit, & illud cum Socrate Confutium habuiſſe commune, vt, cum ipſe pari ratione ac Socrates circa morum puritatem tam apud ſe, quam apud alios diligentiſſime fuerit occupatus, ſubtilioribus illis vanisque circa rerum naturam ſiderumque ac caeli conditionem ſpeculationibus inſuper habitis, non minus ac ille philoſophiam de caelo in terram deduxiſſe dici poſſit. Puerum, aiunt praeterea Sinenſium annales, iam ſexennem praematura quadam maturitate longe viro quam puero ſimiliorem, nec vmquam cum ſui aequalibus ex more aetatis illius luſitare viſum eſſe. Adoleſcentem annorum quindecim totum ſe priſcorum monumentis peruolutandis dediſſe, reiectisque iis, quae nullam vtilitatem habere videbantur, optima ſelegiſſe documenta, moribus ſuis ea primum expreſſurum, quae deinde aliis quoque ad imitationem eſſet propoſiturus. Decimo nono, aut ex aliorum relatione, vigeſimo aetatis anno matrimonium iniiſſe, ſuſcepto etiam ex vxore filio Pe yu, ex quo, ante patrem demortuo, qui ortus eſt nepos, laudis auitae & philoſophiae ſtudioſiſſimus, perpetua poſterorum ſerie eximia tum opulentia tum dignitate tanti viri ſtirpem ad haec vsque tempora propagauerit. Ceterum cum Confutius ita bonis litteris ac ſcientiis excoluiſſet animum, ut honores capeſſere atque ad rempublicam accedere iam longe

ge eſſet omnium digniſſimus, eumdem variis deinde in locis maxima cum laude geſſiſſe magiſtratum; non tamen aliò fine nec alio ſtudio dignitates eiusmodi admiſiſſe, quam vt vtilitati publicae inſeruiret ubique, doctrinamque ſuam, vt erat ad ſalutem humani generis comparata, ad omnes ſtrenue propagaret; qua & ſpe, ſi falli ipſum contigiſſet, haud quidquam eum dubitaſſe, a magiſtratu, dignitatis licet pleniſſimo, ſponte abire; cuius rei cum alias ſaepe, tum vero anno ipſum quinquageſimo quinto aetatis ſuae illuſtriſſimum dediſſe teſtimonium. Quum enim in regno Lu munere mandarini, vti a Luſitanis vocantur, qui in oriente respublicas inter Sinas adminiſtrant, ad aliquod tempus egiſſet, toto regno omnigena felicitate ad inuidiam florente, poſtmodum autem rex inſidiis vicinorum regum, ſubmiſſis puellis, formae pulchritudine cantusque ſuauiſſimi gratia, dotibusque aliis longe eminentiſſimis, circumuentus, cum aulae proceribus in luxum diſſolueretur, ingenti morum corruptione mox inualeſcente, non tuliſſe hanc in deterius conuerſionem Confutium, abdicaſſe ſe munere; valedixiſſe aulae, atque in alia regna ſpontaneum exſulem contendiſſe; verum, quum nec apud illos homines virtuti ſuum conſtaret pretium, philoſophum noſtrum regnum Chim petere fuiſſe coactum, vbi ad extremam victus inopiam fuerit redactus vir, ſine controverſia, regni primarius; nec multo poſt, dum regnum Sum peragrauiſſet, a viro quodam praepotenti, cetera inſignis improbitatis, ad mortem fuiſſe conquiſitum;

Le P. Louis le Comte *dans les Nouveaux Memoires ſur l'Etat preſent de la Chine tom. I. lett. VII. p.* 275.

Digitized by Google

cum ipſe interim ſemper ſui ſimilis atque inter tot aerumnas inuicto animo pro cauſſa tam bona vitam etiam profundere fuerit paratiſſimus. Vbicumque fuerit, ardens atque indefeſſum ſtudium prae ſe tuliſſe, veram ſapientiam cum hominibus communicandi, omnesque, quos ſors ipſi offerret, a depravatiſſima vitae conſuetudine ad caſtiſſimum integerrimumque vitae genus reuocandi. Diſcipulos numerauiſſe ter mille, ex quibus omnino quingenti exſtiterint, qui variis in regnis rempublicam adminiſtrauerint, ad ampliſſimos magiſtratuum honores euecti. Denique memorant, Confutium ſeptuaginta & tres annos natum ſupremo fuiſſe correptum morbo, & ſaepe in eo, ſuorum temporum perturbationes lugentem, dicere auditum eſſe: *praegrandis mons* (quo intelligebat doctrinam ſuam) *quo decidiſti! trabalis machina euerſa eſt, ſapientes & ſancti exaruere.* Septimo demum die ante mortem conuerſum ad diſcipulos & conqueſtum eſſe; *reges, quae doceo, non obſeruant; ecquis horum per imperium noſtrum inſtituti mei cultor eſt atque ſectator? hoc vnum ſupereſt, vt moriar.* Haec cum effatus eſſet, lethargo fuiſſe correptum, & cum per totos ſeptem dies dormientis inſtar eo in ſtatu perſtitiſſet, deſiiſſe tandem viuere hominem incomparabilem, quod factum narrant anno quadrageſimo primo, ex quo imperator Kim Vam rerum fuerat potitus.

Chriſt. Mentzelius *Chronolog. Imp. Sinenſ. p.* 45. Couplet *in vita Confutii p.* CXXI.

Hic ille eſt philoſophus, auditores, qui tantam ſibi apud omnem poſteritatem conciliauit auctoritatem, vt omnibus non aliter, ac abſolutiſſimus ſapien-

pientiae magiſter in vniuerſo regno Sinenſi, & multum vltra, cenſeatur, certumque ſit, inter tres philoſophiae ſectas, quae in Sinenſium regno tolerantur, Confutii ſectam, quam litteratorum vocant, tantopere ceteris antiſtare, vt cum imperatore ipſo, qui nunc rerum potitur, Camhy, cuncti regni proceres eidem ſua dederint nomina.

La Mothe le Vayer *tom. V. p.* 242.

Hic, inquam, ille eſt philoſophus, cui potiſſimum callidiſſima Sinenſium gens, quidquid valet in bonis ſcientiis, omni iure referre in acceptum debet. Nec profecto negandum eſt, Sinenſe imperium, ut magnitudine Europam, qua eſt exculta, prouocat, & populi etiam multitudine ſuperat; ita multa praeterea alia poſſidere, quibus nobiſcum in arenam deſcendere, aequo propemodum Marte pugnaturum, audere poſſit. Quamuis enim iis artibus, quarum ad vitae neceſſitates commoditatesque vſus eſt quammaximus, facta compenſatione Sinenſibus ipſis fortaſſe faciamus paria; meditationum autem profunditate diſciplinisque in contemplatione rerum verſantibus, & artibus ad rem militarem ſpectantibus, longi ſimus ſuperiores; vt iam inuidioſum illud dicterium, quo ſua magnifice depraedicant, haudquidquam apud vllos inueniat fidem; Sinenſes duos habere oculos; Europaeos vnum, quod hominum eſt reliquum, caecutire: ſed tamen nec illud negandum eſt, praeceptis ad vitam ipſam vſumque mortalium accommodatis, vitae civilioris praeſcriptis imperandique artibus, Sinenſem nationem nos, qui ſumus opinione noſtra ad omnem morum elegantiam & honeſtatem excellentiſſi-

Th. Lanſius *Conſultat. p.* 4.

Gottfr. Guil. Leibnizius *in Praefatione eleganti ad Nouiſſima Sinica.*

tiſſime eruditi, & in rerum ciuilium tractatione ſubactiſſimi, longo interuallo antecellere. Haec autem ſe a Confutio accepiſſe libentisſime confitentur ipſi Sinenſes. Teſtantur vero id quoque volumina, a Confutio conſcripta, quantum ille in ſapientiae ſtudio profecerit. Adlata eadem miſſionariorum opera in Europam, & bibliothecae regiae, quae eſt Lutetiae Pariſiorum, inſerta ſunt, & nunc, vt ante annos ſeptemdecim iuſſu Ludouici, Galliarum regis, ab aliquot e ſocietate Ieſu patribus in Latinum idioma conuerſa, Pariſiisque typis pulcherrimis expreſſa exſtant, in eruditorum manibus verſantur. Vtcumque enim in Scientia hac Sinica, veluti habet libri titulus, multa ſint ſine acumine dicta & vulgaria admodum; deprehenduntur tamen in eadem & plurima, quae exquiſitisſimum praeferunt iudicium, & profundisſimi ſubtilitate ingenii ſeſe commendant. Sinenſes certe impenſe ſcripta aeſtimant Confutii, & quaſcumque doctrinas continent, ſine vlla contradictione amplectuntur; atque vt volumina illa intelligant, integraque conſeruent, non minorem curam ſollicitudinemque adhibent, quam nobis chriſtianis circa ſacra volumina adhibere ſolenne eſt.

Confutius Sinarum philoſophus ſiue Scientia Sinenſis, Pariſiis 1687.

Chriſt. Thomaſii *Cogitation. menſt.* ſ *menſ. Aug.* 1689. *p.* 606.

Theoph. Spizelius *de Re Litterar. Sinenſ. ſect. VII. p.* 116.

Ipſum Confutium, ſi hiſtoriarum monumentis fidem adhibemus, compoſitiſſimis moribus praeditum, & emendatiſſimae vitae caſtitate ſanctitateque ſingulari fuiſſe conſpicuum adſeueranter poſſumus adfirmare. Certe haec omnia tanta fuiſſe ſibi perſuadent, vt Yenyuenius, clarisſimus Sinenſium orator & philoſophus, haud cunctatus ſit adſerere, ad

Mart. Martinius *lib. IV. Hiſt. Sin. p.* 132.

ad Confutii virtutem peruenire poſſe neminem, vti nec admota qualicumque ſcala caelum adſcendere. Illud tamen magnam habet dubitationem, an Confutius verum adgnouerit adoraueritque Deum, an vero idolorum cultor exſtiterit? In vtramque partem multis quidem diſceptari videas argumentis, contendentibus tamen de ſocietate Ieſu viris ſummopere, Confutium a peſte iſta fuiſſe immunem; cum nec illi, qui temporis vitio idola iam venerantur, hac labe ipſum adſpergere auſint.

Cl. Delle *Hiſtoire ou Antiquités de l' Etat monaſtique liv. IV. part. II. chap. II.* Couplet *in Vita Confutii. p. CXX.*

Habetis, auditores, imaginem tanti viri, ſed rudiori penicillo a me adumbratam potius, quam expreſſam, quae oculis veſtris ſubiicienda primum erat, quam de cultu illius quicquam commemoraremus: ſed nunc tempus eſt, vt, qualis ſit ille, curatius exponamus. Conſpiciuntur in ſingulis vrbibus aedes ſacrae, memoriae Confutianae conſecratae, atque prope gymnaſia, ſeu ludos litterarios, conſtitutae. In illis aedibus collocata eſt tabella, trabalibus iisque auratis litteris inſcripta: *Thronus* ſeu *ſedes animae ſanctiſſimi & ſuperexcellentiſſimi protomagiſtri Confutii.* Huc omnes litterati bis in anno, aequinoctio ſcilicet veris & auctumni, confluunt, Confutium, Sinenſis philoſophiae parentem atque principem, oblatione ſolenni veneraturi. Adeſt praecipuus mandarinus, ſiue vrbis gubernator, ſacerdotis officio defuncturus, adiunctos ſibi litteratos habens, quibus diaconi, ſubdiaconi, magiſtri caerimoniarum atque acoluthorum partes obeundae incumbunt. Cetera ad eumdem fere modum, vt fit in oblationibus, quas in progenitorum ſuorum honorem

Hiſtoria cultus Sinenſium in Act. Eruditor. menſ. April. cIↄ Iↄ cc p. 171. Lettres Hiſtoriques Septembr. 1699. p. 234.

norem

norem inſtituunt, paraguntur. Quum enim per aliquot dies ieiunio & abſtinentia a thoro coniugali omnes ſe praepararunt, & pridie aequinoctii oryzam & alia legumina terraeque fructus, Confutio offerendos, comportarunt; mandarinus animalia, vt porcum, capram, aliaque, poſtridie immolanda, more conſueto, immiſſo in aures vino calido, probat, porcum ita electum, tum & antequam mactatur, tum & cum a laniis mactatus eſt, in area templi inflexo corpore ſalutabundus veneratur. Tum raduntur pili, & cum inteſtinis & ſanguine in poſteri diei ſolemnitatem ſeruantur. Poſtridie igitur ante galli cantum, omnes accenſis cereis in Confutii aedibus conueniunt, ſupra menſam ſiue altare tus aliosque odores adolentes. Quum caerimoniarum magiſter dat ſignum, muſici cantant, ſacerdosque, magiſtro caerimoniarum clamante: *offerantur pili & ſanguis victimarum;* eosdem pilos cum ſanguine in altum tollit, coramque Confutii offert tabula, poſtmodumque iubente magiſtro caerimoniarum omnes inſtructo rite ordine ad aream templi procedunt, & pilos atque ſanguinem infodiunt terrae. Redeunt deinde ſinguli ad loca ſua, clamatque magiſter caerimoniarum: *deſcendit ſpiritus Confutii;* quo dicto ſacerdos plenum vino calicem adſumit, inque imaginem hominis, e paleis contextam, effundit. Porro Confutii tabulam ſuper altare collocat, & precationem, ſummas Confutii laudes complexam, recitat; quod cum factum eſt, clamat caerimoniarum magiſter: *flectamus genua;* quam vocem cum audiunt, flectunt continuo genua omnes;

omnes; cumque mox dicit; *leuate;* conſurgunt repente omnes. Tum lauat ſacerdos manus ſuas, oblatumque ſibi ab vno ex magiſtris pannum ſericum; ab alio vero vas plenum vino ſuſcipit, clamante caerimoniarum magiſtro: *ſacrificus accedat ad thronum Confutii.* Accedit ille, atque muſicis canentibus pannum ſericum, ac deinde vas vino plenum in altum tollit, atque Confutio offert. Magiſter caerimoniarum quatuor exclamat vicibus: *flectamus genua, & levate;* hoc quater faciunt omnes, pannusque ſericus ignitis comburitur carbonibus, additis his verbis: *id confieri in honorem Confutii.* Hac ratione quoque vinum offertur cum precatione, in qua ſpiritum Confutii tamquam praeſentem adloquitur ſacerdos. Poſt haec clamat caerimoniarum magiſter: *bibite vinum proſperitatis ac felicitatis;* repetitque iterum verba: *flectamus genua;* & ad ſacrificium conuerſus ait: *bibite vinum felicitatis;* quo ipſo illud ſacrificus exhaurit. Poſtea clamante magiſtro: *ſume carnem ſacrificii;* ſtatim ſacrificus a miniſtro carnes victimarum ſuſcipiens ambabusque manibus ſuſtollens in altum offert, adiunctis precationibus, quarum unam finit his verbis: *quodcumque tibi obtulimus, purum eſt atque odorificum. Perfectis his caerimoniis nos mortales in pace conquieſcimus; ſpiritus vero iucundatur. Ex his ſacrificiis fiet, vt bona & felicitates conſequamur.* Tandem Confutii ſpiritum, quem aduenisse atque tabellae inſediſſe ſibi perſuadent, redeuntem ad locum ſuum cum ſolenni precatione comitantur, ſacrificii carnibus inter praeſentes diſtributis, quas

Digitized by Google

qui comederint, per Confutium felicitates eximias adepturos ſe eſſe, confidunt.

L' Eſprit des Cours de l'Europe, Septemb. cIↄ Iↄcc. p. 249.

Haec de cultu Sinenſium aduerſus Confutium vberiori oratione fuerunt recenſenda, auditores honoratiſſimi, vt de controuerſia, quae magnis animorum commotionibus in Romana eccleſia hoc tempore iactatur, luculentius conſtet. Duo religioſorum ſunt ordines praecipui, qui ob cultum hunc infeſtiſſimis inter ſe dimicant mentibus; Dominicanos intelligo, atque Ieſuitas, e quorum ordinibus multi ſunt in Sina ſub miſſionariorum nomine, qui chriſtianorum religionem iſtis in partibus diſſeminare, & in homines, foediſſimae idololatriae deditos, inſerere ſatagunt. Accuſant autem Dominicani e ſocietate Ieſu patres tum ex capitibus aliis quam plurimis, quae referre prolixum foret, & quae maximam partem ita ſunt comparata, vt, quae continent crimina atque malefacta, in rei chriſtianae dedecus atque detrimentum manifeſto deſinant; tum vero ex hoc praecipue, quod recens ad chriſtianam legem transgreſſis Sinenſibus non cultum ſaltem progenitoribus ſuis, ſed cum primis Confutio ex ritu antiquo deferre permittant, hoc ipſo propudioſam idolatriam cum chriſtiana religione nefarie conglutinantes; atque ita prodi ſumma fidei capita ſanctiſſimamque religionem; ſi modo Ieſuitae pomoeria chriſtianae fidei protuliſſe dici poſſent. Scripſit Abbas de Lionne, epiſcopus & miſſionarius, acerrimam contra chriſtianiſmi eiusmodi in Sina alibique corruptores epiſtolam, in qua pluribus turpiſſimum hoc Ieſuitarum facinus exagitat. Sed Ieſuitae

vt

Digitized by Google

vt audaciſſimi pugnaciſſimique ſunt homines, ad defendendos ſeſe atque ad amoliendam horribiliſſimi ſceleris ſuſpicionem haudquaquam ſunt ſegniores. Primum negant, cultum, qui progenitoribus ſuis, vel Confutio a Sinenſibus dependitur, alios quam ciuiles honores atque ritus continere; vt qui non in templo fanoue idolorum, quod lege imperatorum ſit prohibitum; ſed in gymnaſio, loco litteratis patente, exerceantur a litterariae facultatis praefectis, in quorum numero ſint etiam Muhammedani, nec diuini hic aliquid adgnoſcentes, & vero gentium ſuperſtitiones atque idola vt qui vehementiſſime, deteſtantes. Ipſos honores, qui vocantur in diſputationem, ab iisdem praeſtari etiam hominibus viuentibus, qui, quum non dici poſſint, vt Deos aliquem adorare, aut cultu religioſo proſequi, nec id de Confutio aut defunctis adfirmari iure poſſe. Aiunt & aliqui ex ipſis, numquam Sinenſes Confutio tribuiſſe aliquam diuinitatem, qui tamen tot mandarinis, longe minus Confutio illuſtribus, in deorum numerum referendis dederint operam. Praeterea ad decretum ſedis apoſtolicae prouocant, quod anno ſeculi, proxime elapſi, quinquageſimo ſexto conditum datumque Ieſuitae ſit Martinio, quo pro licito cultus iſte omnino fuerit declaratus. Praecipuum autem in eo cauſſae ſuae praeſidium collocant, quod plurimi, iique doctiſſimi primariique ex ipſa Dominicanorum familia, Ieſuitarum circa hoc negotium ſententiam agendique rationem ſuo adſenſu comprobauerint, euidentiſſimo argumento, ſatis ipſis fuiſſe cognitum

Couplet *in Vita Confutii p. CXXII*

Le Comte *Memoires ſur l Etat preſent de la Chine tom. I. lett. VII. p.* 280.

Digitized by Google

atque exploratum, caerimonias iſtas ritusque a cultu aliquo religioſo diſtare quam longiſſime. Ex his nominant Gregorium Lopezium, miſſionarium & poſtea epiſcopum Baſilicanum vicariumque apoſtolicum; Ioannem de Paz, theologiae Manilae profeſſorem, & denique Dominicum Sarpetrum; ex quorum teſtimoniis auctoritatem & pondus cauſſae ſuae egregie conciliari contendunt. Haec & plura alia pro cauſſa Ieſuitarum adducit Carolus Gobienus, ipſe e ſocietate Ieſu, in peculiari libello, quo cultus explanatur, quem Sinenſes Confutio & defunctis perſoluunt, paucos ante annos Lutetiae evulgato. Sed quemadmodum Ieſuitae, in ſocietatis ſuae adſerenda gloria defendendisque factis ſuis mire ſolertes ſunt artifices; ita alia quoque via cauſſae tam difficili tamque intricatae & deſperatae propemodum quaeſiuerunt patrocinium. Luſitaniae regem, pronae in hanc gentem voluntatis, permouerunt, vt ad Papam purpuratosque patres primarios litteras exararet, quibus grauiſſima incommoda, quae certo ſint conſequutura noua ſuper hoc capite decreta; & ſi non liceat decreto, iam pridem lato, inſiſtere, quod anno quinquageſimo ſexto ſaeculi ſuperioris venerandi hi patres obtinuerunt, ſanctiſſimo huic ecclaſiae capiti & eccleſiae columnis eminentiſſimis pluribus verbis ante oculos ponit, veluti indelebilis macula inureretur eccleſiae, ſi quod ſemel a ſummo pontifice conſtitutum eſt, id decreto contrario aboleatur; & quaſi longe ſit tutius concedere, vt Confutio inflammentur tura, quam vt ſanctisſimi patres dedecore aliquo adficiantur.

Eclairciſſement donné a Monſigneur le Duc du Maine ſur les honneurs que les Chinois rendent à Confutius & aux morts &c. L' Eſprit des Cours de l' Europe Decemb. cIↄIcc LXXXIX. p. 768.

tur. Vtque & pontifici & toti Europaeo mundo pleniſſime ſe de obiecto ſibi delicto purgaret ſocietas, auctores fuerunt Ieſuitis, in Sina degentibus, vt perſcripta de ratione cultus a Sinenſibus Confutio maioribusque ſuis & Deo perſolui ſoliti, epiſtola ad pontificem Romanum, omnem occaſionem ſecius de ſe ſuſpicandi auerterent. Id illi ita praeſtiterunt, vt anno milleſimo ſeptingenteſimo, quarto Nonarum Decembris, copioſiſſimas ad papam dederint litteras, a Philippo Grimaldi, rectore eccleſiae Pekingenſis, decemque aliis ſubſcriptas, in quibus, cum facunde admodum merita ſua in propaganda fide chriſtiana extuliſſent, ſummam neceſſitatem exponunt, qua adducti ritus illos conſecratos nouis chriſtianis Sinenſibus permittant; nec tamen propterea vel minimum idololatriae gratificatos ſe eſſe, vel rei chriſtianae nocuiſſe. Non enim alio ſpectare ritus illos, quam vt honor ſolummodo ciuilis viro, apud omnes in ſumma exiſtimatione poſito, exhibeatur, & qui, ſi prohibeatur, confeſtim omne in toto regno chriſtianorum nomen ſit exſtirpandum. Ciuiles autem tantum eſſe honores iſtos, ab ipſo imperatore, cui, ſi cuiquam alii, res haec ſit cognitisſima, vtpote qui ſit Sinenſium religionis ſcientisſimus, & in libris de omnibus ſapientiae partibus verſatisſimus, ſeſe eſſe edoctos; cum & ipſi hac ſuper re eius exquiſiuerint ſententiam, & imperator ita ſeſe rem habere, quemadmodum Ieſuitae de ea ſentiant, grauisſimo reſponſo, pridie calendas Decembris anni memorati dato, fuerit teſtatus.

Fama Europaea part. III. p. 218. ſeqq.

Quis vero detrectet adgnoſcere, auditores, patrum, tam innocenter tamque candide vbique agentium, & in hac quoque cauſſa argumentis tanti ponderis pro ſe perorantium, ſocietatem iniuſtiſſime impugnari? quis non indoleſcat ingemiſcatque ſorti hominum, qui tantis meritis ſanctam eccleſiam matrem ſibi obligantes tam indignis modis habeantur? Verum tam dura fronte ſunt Dominicani, genus hominum, in eccleſia Romana non minus magnam auctoritatem habentium, vt haec omnia non tantum non adtendant & flocci faciant; ſed & vt vehementiſſime contra digladientur, rationum momenta, quas pro ſe adlegant Ieſuitae, nihil euincere audacter ſtatuentes. Falſum eſſe, regerunt, cultum hunc ſuperſtitioſum non eſſe ac idololatricum, quum Sinenſes ipſi in ea ſint opinione, defuncti animam, oblationibus ac precibus inuitatam, in illam tabellam certo aduenire, ibique adſiſtere, vt odoribus aliisque eduliis ſibi oblatis fruatur. Ritus illos, tum erga idolum Chin Hoan, quod tamquam cuiusque Ciuitatis ſpiritum ſeu genium tutelarem habeant; tum erga alios ſpiritus, quos vt caeli, terrae, fluminumque praeſides venerantur, vſurpari. Praeterea duas alias ſectas Magorum & Bonziorum eamdem in idolis ſuis, in Pagodis ſiue templis colendis, rationem conſectari. Falſum eſſe, has caerimonias obſeruari, vt victimae ſortito eligantur, vinum ſolenniter libetur, caput caprae aut porci offeratur, & quae ſunt reliqua huius generis peragantur, quum aut liberi parentibus aut diſcipulis magiſtris, ſingularem honorem de-

Hiſtoria Cultus Sinenſium in Actis Eruditor. clↄ Iↄcc. p. 177.

declarare cupiunt. Sed & fidem in Ieſuitis requiri, aiunt, quum ad teſtimonia aliorum iſtis in rebus prouocant; nam fictas eſſe ſuppoſitasque litteras, quibus ſe defendunt; &, nec tantam aliquorum, quos Ieſuitae in ſcenam producunt, virorum eſſe auctoritatem, vt illorum ſtandum ſit ſententia, oſtendunt. De cetero, nec ex vero Ieſuitas facta deſcribere, & rationem iſtius cultus genuinam fraudulenter diſſimulare, vt de iure illius non recte pronuntiari poſſit. Decretum ſane a ſede apoſtolica anno ſaeculi nuper finiti quinquageſimo ſexto factum eſſe; ſed cum iam anno praecedente quadrageſimo quinto ab eadem ſede apoſtolica cultus ille damnatus proſcriptusque fuerit; ſatis eſſe manifeſtum, Martinium, cui decretum iſtud ſit datum, minime bona fide cultum iſtum Romanae ſedi expoſuiſſe.

Quid ad haec pontifex maximus, dum fideliſſimos ſeruos ſuos, Dominicanos & Ieſuitas, tanta animi acerbitate videt ſe dilacerare? Audit tam horrendi facinoris poſtulari apud ſe generoſiſſimos ſatellites ſuos, ſedis ſuae alacres oppido atque indefeſſos vindices. Crediderim profecto optare ſanctiſſimum patrem, vt a labe impacta puri ſint atque liberi Ieſuitae. Verumtamen probe animaduertit, non inſuper habendas eſſe querelas de re tanti momenti ad ipſum delatas. Ergo Tournonium, quem prius patriarcham Antiochenum creauerat, vt legatum a latere adiunctis viginti quatuor doctoribus iuſſit ire in Sinam, vt quid rei ſit, de qua tam feruide concertatur, a quibus partibus ſtet veritas & iuſtitia, explorate cognoſcant, vt cauſſa cognita iudicare

Fama Europaea part. II. p. 92. part. III. p. 219.

ipſe

Fama Europaea part. V. p. 414.

ipſe ſtatuereque poſſit. Interim fama eſt, Romae congregationem de propaganda fide hunc Confutii cultum modumque, quem circa eumdem, neophytis chriſtianis permittendum, obſeruant Ieſuitae, vt ſuperſtitioſum & idolatricum damnaſſe, vt tamen decretum eovsque ſuſpendatur, dum Tournonius has in ores iterum redierit, de ſingulis narrationem liquidiſſimam accuratiſſimamque editurus.

Eſprit des Cours de l' Europe, Septemb. ɔIɔ IɔccII. p. 251.

Vnde autem & quibus cauſſis hac tempeſtate in eccleſia Romana controuerſia haec, offenſionis plenisſima, fuit ſuſcitata, auditores ſplendidisſimi? Si coniecturae locus eſt, nec fallimur opinione noſtra, exiſtimamus, Ieſuitam le Comte turbarum iſtarum inauſpicato fuiſſe auctorem; quum ipſe ex Sinenſi imperio redux nouos commentarios de rebus Sinenſibus per modum litterarum, ad ſummos in Gallia viros perſcriptarum, ederet. Quum enim viri perſpicaces in eosdem inciderent, multa in iis deprehendi obſeruabant, quae chriſtianae religioni ſunt aduerſa aut contraria, Sinenſiumque cultui plus, quam par eſt, patrocinari videbatur; vnde credibile eſt, ſubminiſtratam fuiſſe Dominicanis occaſionem, grauisſimam hanc litem Ieſuitis intendendi. Sorbonna enimuero, illuſtre Pariſienſium theologorum collegium, ex Ieſuitae huius commentariis propoſitiones aliquas illico collegit, in quas ex plurimorum ſententia ſeuerisſimam ſtrinxit cenſuram. Ne vero vobis ſit faſtidio, viri venerandi, haec ex Ieſuitae libro conquiſita dogmata hic percipere. Sic autem hinc inde in libro ſuo decernit; Populum Sinenſem propemodum bis mille annos conſer-

Nouueaux Memoires ſur l'Etat preſent de la Chine par le P. Louis le Comte, *de la compagnie de Ieſus Mathematicien du Roy. L'Eſprit des Cours de l' Europe, Septemb. ɔIɔ Iɔcc. p. 247. Nou. 468.*

conſeruaſſe cognitionem veri Dei, eumque ea ratione coluiſſe, quae in exemplum ſeruire poſſit chriſtianis. Si Iudaea Deo templum conſecrauit opulentius magnificentiusque, praeſentia & precibus Redemtoris ſanctificatum, non minorem eſſe Sinae gloriam, quod huius vniuerſi creatori antiquius templum conſecrauerit. Diſciplinam Sinenſium moralem videri tam puram, quam religionem chriſtianam, eſſeque a Sinenſibus exercitam, quum reliqua mundi pars eſſet corruptisſima. Vtcumque gratia diuinae prouidentiae inter diuerſas terrae nationes varie fuerit diſtributa; non habere tamen, cur Sina conqueratur, quum nulla fuerit regio, in qua vlla illarum conſtantius quam in illa perſeuerauerit. Non debere imperatorem Sinenſem religionem chriſtianam, vt exteram & peregrinam, conſiderare, quum ea in principiis ſuis capitibusque fundamentalibus non niſi antiqua ſit religio, quam ſapientes primique imperatores Sinenſes fuerint profesſi, eumdem, quem chriſtiani, adorantes Deum. Iſtarum itaque propoſitionum nonnullas Sorbonna cenſet eſſe haereticas, ſcandaloſas, erroneas, verbo Dei contrarias, in ſanctam chriſtianam religionem iniurias, omnes falſas & temerarias. Certe ergo ſi Ieſuitae huius ſcita atque doctrinae hunc ignem non primum accenderunt, haud exigua tamen eidem nutrimenta ſuppeditaſſe haud praeter rem iudicari poſſunt.

d. 18. 19. Octob. cIↄIↄcc.

Habetis omnem rei ſeriem, auditores, vti vsque adhuc in eccleſia Romana geſta fuit; quantum ex monumentis hic inde proſtantibus, fide dignis,

nobis innotuit. Iam fortaſſis etiam exſpectabitis, vt relationi huic ſimplici atque ſincerae non minus ſincerum de tota cauſſa adiungatur iudicium. Certe ſi ad alios reſpiciamus, varias eſſe variorum de hoc negotio ſententias, animaduertere licet; cum homines prout in hanc vel in illam partem voluntate ſua atque animo ſunt adfecti; ita ſecundum hanc vel illam pronuntiare ſoleant. Videas nonnullos mirari, quod duo in Romana eccleſia virorum religioſorum ordines tanta animorum ſtudiorumque violentia tamque atrociter inter ſe confligant, de re, ad cultum diuinum ſpectante, manus conſerentes, quem tamen vtraque gens omni propagare intentione videri cupit; quo inſtituto non fieri aliter poſſit, quam vt quantum alteri ex victoria accedat auctoritatis, tantum contra ea alteri eripiatur; vnde demum veluti Cadmei fratres ſeſe ſint confecturi. Res & apud alios propterea facit admirabilitatem, quod Ieſuitis tam tetri erroris, tamque nefandae haereſeos actio intendatur, viris, qui orthodoxias catholicae a prima ſua origine ſe iactarunt tam ſtrenuos invictosque adſertores atque vindices; quique & ab aliis, & ab ipſo quoque ſummo eccleſiae capite, pontifice Romano, ſuper hac laude abſtulerunt teſtimonium. Sed hoc quidem aliis adeo mirum non videtur, vt aliis quoque portentorum monſtris, quae ſuo in ſinu foueat famoſiſſima decantatiſſimaque ob ſcelera enormia ſocietas, quidquid circa cultum Confutii doceat permittatque, accenſeant. Alii ſtomachoſius in ſocios illos inuehuntur; hanc eſſe aientes ordinem, qui fidem

Ieſu

Ieſu Chriſti per fidem diaboli extendere ſoleat; qui crimina exterminauerit, eadem dum fouerit; hunc fouere ſanctos illos patres, qui actiones maxime omnium infernales ſanctificent, tum ex bona intentione eas vel ſuſcipiant ipſi, vel vt ab aliis ſuſcipiantur, iisdem perſuadeant; qui religionem florere faciant callidiſſimis eam in rem & ſua tantum commoda vbique ſpectantibus abutentes rationibus; qui denique per ſymbolum ſuum, *Omnia ad maiorem Dei gloriam*, ad eminentiſſimam mundi gloriam pervenerint, etſi hac ipſa arte Dei gloria per ipſos vbique agatur in exſilium. Aliquos vero ex hoc capite inceſſit admiratio, quod Ieſuitae nondum cauſſam obtinuerint ſuam, qui tantis meritis ſedem ſibi deuinxerint apoſtolicam; cumque res manifeſte ad eccleſiae incrementum pertineat, honorque pontificis maximi in eo agatur, ne infallibilitas ſua, iam olim cultum hunc Confutii tam indulgenter adprobans, ignominia aliqua adficiatur, minus eſſe peccatum minusque inſtare periculum, concedere, paullulum turis accendi idolo philoſophi Confutii, quam vt res tanti momenti prodatur, vel in manifeſtiſſimum mittatur diſcrimen. Nonne vero eſſet melius, addunt, credo magis pontificiis lepido dicterio illuſuri, quam ex animo loquentes, tot animarum millia cum bono illo Confutio in paradiſum collocare, quam cum eodem illas aeternis in inferno cruciatibus addicere? Denique, ne & nihil de Ieſuita le Comte memorent, monſtro dicunt eſſe ſimile, Ieſuitam haereſeos vel ſuſpectum vel conuictum tolerari in aula, quae per ali-

quod tempus haereticos, quos ſibi imaginatione deformat, crudelisſime perſequuta eſt. Illud autem admirationem ſuperare omnem, reuerendum hunc patrem, cum in litteris ad Ieſuitam nominis celeberrimi, de la Chaize, chriſtianisſimi regis confesſionarium, impedimenta deſcribere vellet, incrementa religionis chriſtianae apud Sinenſes ſufflaminantia, huc illud quoque referre, quod Sinenſes, interque eos praecipue mandarini, plus vna habere gaudeant vxores, tamque pertinaciter hac in parte cupiditatibus ſuis inhaereant, vt, cum religionis chriſtianae audiunt ferre ſecum indolem, vt vnus vna tantum contentus ſit coniuge, dimittendasque eſſe reliquas omnes, ſi pluribus adhuc quispiam adſueuerit, & nunc in ritus chriſtianos transire deſideret; malint potius in ethnicis tenebris perſeuerare, quam ad chriſtianam ſe conferendo religionem rei cariſſimae nuntium remittere. Quid enim, addunt homines rerum curioſi, hoccine Sinenſes prohibeat, ne in ciuitatem chriſtianam recipiantur? quum, ſi oculati eſſe vellent, hi ipſi Ieſuitae, facile domi in exempla inciderent hominum, qui libidinis oeſtro percuſſi, & voluptatis mancipia vt deſideria ſua expleant, feminas, etiam coniugum ſuorum amplexibus thalamisque abreptas, vxori ſuae, veluti matrimonii ſocias, adiungere haud erubeſcant; & tamen a ſanctiſſimis patribus peccatorum ſuorum venia impertiantur, & vt chriſtianae reipublicae defenſores amplificatoresque infinitis celebrentur encomiis; quaſi vero credibile ſit, Ieſuitas in Sina eſſe tam duros, cum in Europa tam ſint

Nouueaux Memoires ſur l'Etat preſent de la Chine, tom. II. lett. IV. p. 223.

Digitized by Google

ſint faciles in permittendis vitiis, tamque latam, vbi opus eſt, ſequantur diſciplinam.

Sed credo, vos, Auditores, a me poſtulare, ut meam exponam potius ſententiam, quam vt referam aliorum. Non nego, haec omnia cum tacitis ſenſibus peruoluo, varias in mentem mihi venire cogitationes, quas, ſi adeo vultis, breuiſſimis vobiscum communicabo. Haud facile dici poteſt, quantopere glorientur Ieſuitae, quas ad propagandam chriſtianam religionem obeunt, miſſionibus. Sed profecto non eſſe, quod operam ſuam tam immenſum imputent eccleſiae, ex his, quae diximus, liquidiſſime adparet. Quid enim, amabo, proderit miſeris Sinenſibus, aliqua Chriſti, Salvatoris mundi, imbui notitia, quum, ſi credimus Dominicanis, viris hac in parte fidei vix ſubleſtae, permittatur ipſis, teterrimam idololatriam ex moribus antiquis conſectari? De cetero quas rationes Ieſuitae, ad longinque poſitas gentes delati, in verbo divino adnuntiando adhibeant; vt in primis Matthaeus Riccius, qui cum primis omnium ex Ieſuitis Sinenſes acceſſit, & qui eum ſunt conſequuti, ad mores ritusque idololatricarum nationum ſeſe adtemperauerint; vt in cauſſa fuerint, quare idololatria in regno Sinenſi profundiores egerit radices, vt eccleſiaſticarum legum vincula relaxauerint, id in Theatro Ieſuitico, qui quidem primum liber Ildefonſo Malacenſi, in Hiſpania Epiſcopo, adſcribebatur; quum autem ille foetum hunc non adgnoſceret, ad Ioannem de Ribas, Dominicanum itidem Cordubenſem, veluti parentem referri coepit, copioſe ex-

Vid. Lud. a Seckendorf *Commentar. de Lutheraniſmo, lib. III. ſect. XXI. §. 84. num. 48. p. 326.*

Hiſtorica Narratio de ortu & progreſſu fidei orthodoxae in regno Sinenſi. p. 4.

Acta Erudit. menſ. Decemb. clɔ Iɔc lxxxix. *p.* 616.

ponitur. Nemo ergo crediderit, ipſos Ieſuitas pu-
ra ſinceraque mente adnuntiare Chriſtum; nemo
vero non adgnoſcat, quod, vbicumque inualeſcant,
reliquos ordines, in parem laborem venientes, il-
laudatiſſimis artibus ſupprimant, rerum compendia
ſummamque poteſtatem ad ſe omni molimine per-
trahentes; noxiarum herbarum ritu, quae, vbi ſuc-
creſcunt, tam laſciue aliis ſubducunt ſuccum, vt
ipſis ſit emoriendum: Quamuis & ſaepe ſit cogni-
tum, Ieſuitas res geſtas ſuas multis verborum pha-
leris exornare, longoque ſermone augere, cum ſae-
pe tamen res ſint eiusmodi, vt apud peritos rerum
aeſtimatores fidem inuenire nequeant. Quale il-
In Nouiſſimis Sinicis p. m. 160. lud eſt, quod octo ante annos Antonius Thomas
de Crociuaeo, Ieſuita, ſcripſit in Europam; perſcri-
pſiſſe eumdem ex ſua Pekinum prouincia, ſe prae
nimia in tingendis vnda ſacra neophytis laſſitudine,
brachiorum vſu prope deſtitutum, coactumque eſſe
accire ſocios. Quamuis & id conſtet, miſſiones
ipſorum, quum laeta habuerint initia, infeliciſſime
Ioſeph Suarius *in Nouiſſimis Sinicis p. 143. d. 22. Mart.* ſaepe finiri. Eſt ſane ope Ieſuitarum libertas euan-
gelium Chriſti adnuntiandi & propagandi in impe-
rio Sinenſi patentiſſimo, ſolenniſſimo decreto anno
ſaeculi, paucis annis finiti, nonageſimo ſecundo de-
clarata; ſed hoc, qui nunc currit, anno tum Roma,
tum Auguſta Taurinorum adlatae ſunt relationes,
ex Sina veniſſe nuntios, horrendas perſequutiones
eo in regno contra chriſtianos tam diris modis ſae-
uire, vt ex centum millibus chriſtianorum, qui ec-
cleſiam illic locorum conſtituerint, vix ſuperſint
viginti ſeptem millia, Sinenſibus in exſtirpandam
fidem

fidem chriſtianam omnibus artibus omnique conatu incumbentibus. Quis autem non ſuſpicetur, in illa rerum conuerſione culpam eſſe potiſſimam penes Ieſuitas, vbicumque ſunt, caelum terrae miſcentes, in res ciuiles proterue inuadentes, & populorum rectoribus verſutiſſimis machinationibus numquam non graues atque periculoſos?

Sed mittamus iſta & veniamus ad potiora. Vbi nunc iſta eſt in eccleſia Romana, quam tantopere extollunt, concordia? quam ſe viſibili eccleſiae capiti debere profitentur. Quemadmodum paucos intra annos grauisſimis contentionibus Romanam eccleſiam concuti audiuimus; ita vel ex hac lite obſeruare licet, tantum hoc corpus inteſtinis quoque morbis periculoſe admodum laborare, illiusque membra, vbi adeſt occaſio, calidiſſimas inter ſe exercere concertationes. De re certe agitur momenti hic maximi, de cultu nempe diuino, quo quid eſt ſanctius? de ſalute agitur animarum tot millium, quibus quid eſt pretioſius? Atqui vero ob iſta capita tot iam per annos non per maximam tantum Aſiae partem, ſed & nunc in Europa miſerrime ſeſe & maledictis & malefactis diſcerpunt famigeratiſſimi ordines, vt videantur vnus letale vulnus alteri velle infligere. Deſinant ergo, deſinant noſtras nobis, quae ſubinde in eccleſia euangelica excitantur, inuidioſius exprobrare controuerſias; quum iam orbis nouerit, quibus quantisque odiis de rebus, ad ſalutis ſummam pertinentibus, eccleſiae Romanae doctores inter ſe colluctentur. Denique quis non videat ex eiusmodi digladiationibus, quam ſint inepta, quamque

ſint

ſint inualida atque inutilia, quae pontificii ad perſuadendam nobis viſibilis alicuius in eccleſia capitis & ſupremi circa fidei controuerſias iudicis neceſſitatem proferunt in medium? quum luce meridiana ſit clarius, iudicem eiusmodi vniuerſalem, errandi neſcium, nec dari poſſe, nec, ſi detur, alio modo iudicaturum, quam illum, quem nos volumus eſſe iudicem. Primum enim ſi eſſe oporteret iudicem eiusmodi, quem Romana fingit eccleſia, omni exceptione maior, is infallibilis eſſe deberet in quæſtionibus, quae non de iure ſolummodo, verum & de factis inſtituuntur; quum ſaepe de dogmate, an vero conſentiat, an vero falſum ſit, res ſatis ſit in expedito; ſed num dogma aliquod huic vel iſti recte attribuatur, aut an factum, de cuius iure anquiritur, hac vel illa ratione ſeſe habeat, in diſceptationem veniat. Sed qui ſit in hominis poteſtate de factis omnibus, in toto terrarum orbe contingentibus, eſſe certiſſimum? An iudici huic infallibili ad aliorum relationes confugiendum erit? quid autem ſi etiam illos falli contingat; ſi partes decertantes, vt fit hoc in caſu, contraria enarrent? an fide referentium, qua ſunt vicario Chriſti ſedique apoſtolicae deuincti, innitetur? ſed & Dominicani & Ieſuitae hac tenentur obligatione, & tamen diuerſa enuntiant, vnique alterius partis fidem reddunt dubiam & ſuſpectam. An committet hoc aliis extra partes conſtitutis, negotium, vt cauſſam rimentur profundius, quidque rei ſubſit, penitius introſpiciant, ac quod obſeruarunt, ad ſupremum eccleſiae caput referant, iurisiurandi ſacramento pri-

prius ad veritatem dicendam obſtricti? quemadmodum nunc Tournonius miſſus in Sinam eſt, vt de negotio, de quo diſceptatur, accuratiſſime diſpiciat. Sed ſi & ille fallatur, cui impoſita eſt iſta prouincia? ſi ipſum quaedam effugiant, ad rem maxime facientia? ſi ab alterutra parte ſe patiatur corrumpi? nam quantum apud aliquos faciat iurisiurandi religio, vbi rationibus ſuis proſpicere poſſunt melius, ſatis conſtat; & de cetero, vt diximus, non obſtat illa, quo minus diſſentientes tam diſcrepantia pontifici proponant. Quis non & videt, quam rerum mortalium conditio plane non ferat, vt vnum tantum eccleſiae ſit caput, iudexque vniuerſalis? Romae adfixus eſt pontifex ſedi ſuae; quod ſi iam lites oriantur in terris, ab vrbe Roma diſiunctisſimis, quantum temporis ſpatium requiretur, antequam ad ipſum veniant accuſationes; quantum requiretur temporis ſpatium, antequam redeant reſponſa, citationes, decreta & quae ſunt huius generis plurima? antequam audiantur partes? quod ſi iam de re ſalutis diſceptetur, quot interea temporis arbitrabimur eſſe morituros, priusquam vlla vel feratur ſententia vel lata promulgetur? quid ſi ergo nunc Ieſuitae cultum Sinenſibus idololatricum permittant, quot in mortali crimine vel iam deceſſiſſe vel deceſſuros eſſe, conſentaneum eſt? quid ſi tam multa ingruant, vt omnibus expediendis vnus homo ſtatim non par ſit; ſed quaedam ſint reiicienda ad tempus commodius, quid interim faciendum? Sed illud denique ex tota hac cauſſa intelligitur, ipſum Romanum pontificem iudicium ferre, non vt videri poteſt, ſed vt illius

Digitized by Google

ſententia, ſcripto conſignata, partibus inſinuatur. Sed hoc ipſum eſt, quod nos, cum omne iudicium ſacrae ſcripturae adtribuimus, ſatis eſſe ad adgnoſcendum hunc iudicem noſtrum docemus. Faceſſat igitur iudex ille in terra viſibilis, qui ſaepiſſime ad res diiudicandas eſt ineptiſſimus, qui alienis oculis videre, alienisque auribus audire tenetur, cui toties poteſt imponi, & in cuius viribus non eſt poſitum, controverſiis, in vniuerſo mundo exortis, vacare; qui denique & homo eſt, qui errare poteſt, & qui errauiſſe multoties eſt compertus. Verum neſcio quo me prouexit haec de cultu Confutii controuerſia.

Ad beatum denique, vt finem aliquando perorandi faciam, reuertendum eſt Hartungum, cuius inſignis liberalitas huic conuentui dedit occaſionem; hunc nos ratione colamus magis probabili, eius memoriam veneremur ſemper, atque eius ſemper animae precemur bene. Ita de nobis meritus eſt vir apud omnem poſteritatem in laude habendus, vt numquam ſine honoris ſignificatione eius recordari, & vt, quam reliquit, viduae, nobiliſſimae ſanctiſſimaeque matronae, Mariae Dorotheae Lauterbachiae, quidquid poſſumus reuerentiae exhibere debeamus. Salue nobis, anima beatiſſima, fruere aeternum caeleſtibus delitiis; tuam autem virtutem poſteri imitentur! Dixi.

Digitized by Google

IO. GEORGII PRITII, D.

DE

CARDINALIS TOVRNONII

MISSIONE

IN REGNVM SINENSE,

AD COMPONENDAS

DE CVLTV CONFVTII

INTER IESVITAS ET DOMINICANOS

CONTROVERSIAS,

ORATIO,

PRONVNTIATA

DIE XXI. SEPTEMB. A. O. R. cIↄ. Iↄccviii.

IN ILLVSTRI ACADEMIA

GRYPHICA,

CVM MVNVS

PROFESSORIS THEOLOGIAE ORDINARII

INGREDERETVR.

Digitized by Google

IN MISSIONEM CARDINALIS TOVRNONII, A CLEMENTE XI, PONTIFICE ROMANO, IN REGNVM SINENSE AD COMPONENDAS LITES, DE CVLTV CONFVTII IESVITAS INTER ATQVE DOMINICANOS AGITATAS, ABLEGATI,

IO. GEORGIVS PRITIVS.

ADſpice, Roma, tuos, in praelia cruda ruentes,
Adſpice ſe natos dilacerare tuos.
Cernin? vt in matris pars vtraque viſcera ſaeuit,
Dum ſe, dum cauſſam vult ſuperare ſuam.
Non oriens bello ſpatioſus ſufficit acri,
Quam patet, Europam flamma proterua petit.
Surgunt terribiles in mutua vulnera fratres,
Alter et alterius ſuffodit enſe latus,
Dum melior ſummi pars Numinis vrget honores,
Atque homines ſolum vult coluiſſe Deum;
Altera ſed cultus ſapienti pendere currit,
Qui, ſapiens quamuis, pappus humusque fuit.
Confundit ſceleroſa cohors hominemque Deumque,
Quum cupit idolo Numinis eſſe vices.
Quid facias? cauſſam quae pars, te iudice, vincit?
Et ſpoliis fratrum quae cumulata venit?
Mittatur ſummi referat qui numina patris,
Pontificemque ſinat, Sina, videre tuis.
Hic neque conficiet tot plexa negotia nodis,
Quamque operam paci praeſtat, inanis erit.
Adfuit, et Romam ſecum Turnonius ipſam
Adtulit, ac pompae quicquid et artis habet.
Re tamen infecta, fama perhibente, penates
Iam repetit, plenus corda pudore, ſuos.
Spreta gemit, pudefacta gemit multumque pererrans
Purpura, non alibi dedecorata magis.
Heu miſer, heu triplicem referas licet ipſe tiaram,
Turnoni, tecum ſpreta tiara redit.
Dic mihi, quae nobis nunc ſtet ſententia, Clemens,
Dogmata qui ſequimur non niſi pura poli.
Omnia pontificis cum ſumma potentia poſſit,
Non valet at cultum conſtituiſſe Dei.

RECTOR

Digitized by Google

RECTOR
ACADEMIAE MAGNIFICE,

VOSQVE

VIRI SVMME REVERENDI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE;

ET TV

NOBILISSIMORVM STVDIOSORVM

FLORENTISSIMA CONCIO.

QVod non niſi ſuperbis mihi potuiſſem adprecari votis, & quod tamen nec vmquam futurum ratus ſum, id vero diuinae prouidentiae nutu hodierno demum die contigiſſe, laetor vehementer & gaudeo. Hanc nunc adſcendi cathedram, eruditisſimis clariſſimorum virorum vocibus alias perſonantem, vt ex ea in poſterum in academia hac peruetuſta eaque celeberrima ſub potentiſſimo Suecorum monarcha ſtudioſam iuuentutem ſacra edoceam dogmata. Quo improuiſo euentu quid mihi potuiſſet accidere in omni vita mea exoptatius iucundiusque, excogitare non poſſum. Theologiam tradere, auditores honoratisſimi, munus eſt non exquiſitis

Digitized by Google

tantum honoribus dignisſimum; ſed eiusmodi etiam, quod reddere hominem ſane feliciſſimum valeat. Cetera ſtudia, quibus excoli atque perpoliri ſolet humanus animus, ſunt omnino laudabilia, & ſummam homini, non ex ſenſuum tantum titillatione viuenti, adferunt delectationem. Quid? quod in rebus humanis nullum ſit tam decus eximium, quod cum illo ornamento poſſit comparari, quo, qui tot artibus, tot ſcientiis, tot litteris probe inſtructus eſt, inter ceteros enitet mortalium. Sed profecto nulla eſt diſciplina, quam ſacratisſima noſtra longum non ſuperet theologia. Quantumcumque hominibus ſapientia humana conciliet ornamentum, quantamcumque adferat vtilitatem, quam ſuaui denique dulcedine eosdem demulceat, vt mirum non ſit, tot quoque repertos eſſe omni tempore vbiuis gentium viros ingenio maximos, qui ſcientiarum amore nihil habuerint prius atque antiquius; quique iisdem toti immerſi a rebus externis omnibus ſeſe abſtinuerint, eaque, quibus alii immenſum ſtatuunt pretium, pro nihilo reputauerint omnia; certe quidquid huius eſt, ſi verum fateri fas eſt, id omne rebus continetur euanidis & perituris. At vero theologia nos ad Deum ducit ipſum, fontem omnis felicitatis, nosque cum eo docet conuerſari, eodemque feliciſſime perfrui. Eſt vero ita concinnata a rerum omnium fabricatore mens hominum, vt, cum facultates quidem habeat, quibus ad proſperitatem & conſeruationem ſuam ex rebus huius mundi petendam, & ad voluptatem inde percipiendam rectisſime aliquis vtatur; illa tamen intenſiſſimo

mo deſiderio in ſupremum bonorum aeternamque beatitatem continenter feratur. Atqui vt, quod tam impenſe cupit; vt re, quam tantopere efflagitat; in quam tanto ardore incumbit, & absque qua nullam poteſt ſinceram adſequi tranquillitatem, potiatur demum, praeſtat hoc diuiniſſimum, quod profitemur, theologiae ſtudium. Haec illa eſt incomparabilis doctrina, quae viam nobis oſtendit, qua ex corruptione, natura nobis inſita, emergere nos, & ad arcem incontaminatae eiusque perennantis felicitatis eniti posſimus. Haec illa diſciplina eſt, quae nos Deo, ſummo rerum omnium moderatori atque liberalisſimo noſtrorum omnium parenti reddit familiares. Haec illa eſt diſciplina, quae nos a caeleſti patria extorres in priſtinas ſedes reſtituit, & ſumma filiorum Dei dignitate exornat. Haec illa eſt diſciplina, quae infelices nos homines, a flagitiis, olim commisſis, nunc liberatos, & grauisſimo reatu exſolutos, cum Deo iterum arctisſime copulat, & copulatos cum ſummo numine in tempore ac in aeternitate muneribus cumulatim adficit non enarrandis. Haec itaque eſt illa diſciplina, quae ſola humanam perficit naturam, eamque aeternum reddit beatam. Iam quis nollet in aula cum ipſo potius familiariter congredi principe, eius gaudere adloquio, refici ſermonibus, locupletari donis, & auguſtiſſimo frui adſpectu, quam extra regis cubiculum eius inter verſari pediſſequos, aut reliquorum in coetu miniſtrorum commorari? Et quis non mallet in rerum diuinarum meditatione adſidue ſe occupare, quam in aliis ſcientiis velut ad ſi-

rene-

demum reſtitutus videor eſſe mihi, cum in academiam redire iubeor, vbi & poſſum ad antiqua me ſtudia referre, & vbi mihi, praeſertim cum ſtudioſa iuuentute, in diuina ſapientia me exercendi, exoptatiſſima datur copia. Euge diſciplina ſanctiſſima! adſum animo, ad te complectendum paratiſſimo. Adſum, vt te percolam; adſum, vt amatoribus, tui cupidiſſimis, decus commonſtrem tuum, depraedicem, communicem. Tecum converſabor, & in tuo complexu dulce mihi erit viuere, dulce mori. Salue mihi academia inclytiſſima, ſalue mihi domicilium, tot virorum doctisſimorum celeberrimum, in quo mihi ſuauisſime erit deinceps agendum. Saluete mihi, viri, munerum amplitudine, eruditionis copia, nominis celebritate excellentisſimi; ſaluete mihi collegae in omnibus facultatibus aeſtumatisſimi, & me, in grauisſimum ordinem veſtrum cooptatum, exiguam ſinite eſſe portionem ſplendidisſimi ordinis veſtri, in quo vna vobiscum, quamuis longe vobis impar, ſtudioſam iuuentutem in ſacra theologiae adyta deducam. Saluete & vos, deliciae meae, florentisſimi iuuenes, qui in hunc locum confluxiſtis, vt generoſa pectora veſtra ſapientiae vtiliſſimis adimpleatis praeceptis. Salue decus patriae, flos aetatis iuuenilis coruſcantisſime, & ſpes poſteritatis laetisſima! Habetis en me, doctorem veſtrum, immo & commilitonem. Agite, caeleſtem ſapientiam rimemur, eam nobis comparemus, eamdemque & in ſalutem noſtram multorumque aliorum ſtudioſe conuertamus.

Digitized by Google

O me felicem, quod vobis comitibus hanc viam mihi ingredi liceat; ſed tamen feliciorem longe, quod ſub CAROLO XII, rege inuictisſimo, cuius auguſtisſimum complectitur nomen quicquid vera religio, quidquid virtus omnis, quicquid ſapientia, quicquid denique regendi ars continet excelſum atque admirabile, & viuere & docere detur. Incomparabilis hic princeps vt a tenerrima aetate auſpicatus heroem eſt, ita nunc, obſtupeſcente toto terrarum orbe, eumdem numeris omnibus mirifice abſoluit. Verum ſuos dum inaudita fortitudine hoſtes repellit, inuadit, deiicit, profligat; pietatem tamen ante omnia curae habet quam maxime, veritatemque diuinam rebus anteponit omnibus, rex omnibus ſaeculis venerandus, eamque & ipſe profitetur ſincere, & moribus exprimit emendatisſimis; ſed & adſerit eamdem, vindicat & promouet. Gaude eccleſia vltore tanto, & ſpem cape, fore, vt CAROLVS XII, potentisſimus Suecorum rex, diuino impulſus ſpiritu, & ſub clypeo praepotentis numinis tutus, te foueat, contra iniurias hominum tibi male cupientium, atque hinc inde inſidias tibi ſtruentium, protegat, & tua ſubinde pomoeria proferat longius atque magis amplificet. Felicisſimum autem me, quod in hanc ſum regionem delatus, quod in hac mihi iniunctum ſit academia chriſtianam religionem profiteri, in quam princeps ille glorioſisſimus ſummum habet imperium. Iam itaque, ne meis, ne veſtris deſideriis & votis deſim, iuuenes praeſtantisſimi, ſolenni oratione auſpicandum mihi hoc munus eſt. Quod dum facere meditor, nul-

nullum mihi commodius incidit argumentum, de quo ad horae dimidiae ſpatium ad ſplendidisſimum hoc differam auditorium, quam decantatisſima illa non in Romana tantum, ſed & in noſtra eccleſia Tournonii, Romanae eccleſiae cardinalis, ad Sinenſes misſio. Quum enim inter celeberrimos duos ordines, Ieſuitas, dico, & Dominicanos, de cultu Confutii, ſummi apud Sinenſes philoſophi, acerrimae nunc temporis vigeant lites, Dominicanis, patres illos ſacerrimos, tanquam idololatriae fautores accuſantes; his contra, aduerſus intentatum ſibi tam horribile crimen, vt gens eſt pugnacisſima, non minori contentione ſe defendentibus, exiſtimavit Clemens XI, pontifex Romanus, dirimendae controuerſiae huic non aliud eſſe expeditius medium, quam ſi in regiones, tam longe a nobis poſitas, virum auctoritate grauem & eximia prudentia conſpicuum mitteret, de re tota accuratisſime diſpecturum, vt nempe tanto rectius ille poſtmodum de toto hoc negotio, tot difficultatibus implicito, & tanti tamen momenti, ſuam pronuntiare poſſet ſententiam. Non iniucundum ergo erit vobis, auditores lectisſimi, ſi ſeriem huius cauſſae incomta licet oratione vobis, orator infacundisſimus, enarrauero. Id modo a vobis, rector academiae magnifice, viri omnium ordinum excellentisſimi; vti & a te, nobilisſima iuuentus, maiorem in modum rogito, aurium veſtrarum operam vt mihi ad breue tempus peroranti beneuole accomodetis.

Quum in eccleſia pontificia a multo iam tempore circa infideles, quibus adhuc vsque ignora-

Digitized by Google

tur Chriſtus, ad eccleſiam chriſtianam adducendos, laboretur, tum in hoc opere ſe ſtrenuos valde atque indefeſſos, qui a Ieſu ſibi adſciuerunt nomen patres per orbem depraedicatiſſimi, demonſtrare voluerunt operatores. Quemadmodum enim ſimul ac enata fuit infauſtis ominibus aterrima haec natio, resque ſuas, quae ſumma eſt illorum hominum calliditas, in Europa belle conſtituerat; id ſibi exiſtimabant incumbere hi patres, vt palmam reliquis, qui tum in eccleſia Romana florebant, familiis religioſis eriperent, ordinemque ſuum, meritorum ſuorum praeſtantia ſupra reliquos omnes eueherent. Quumque in aula Romana conuertendarum ad chriſtianorum cultum per orbem hinc inde diſperſarum gentium oppido quam magnifiat ſtudium, ſaeculo iam decimo ſexto longinquas ſuſceperunt in ſe profectiones, propagandae, vti iactitabant, fidei chriſtianae ardore incitati. Ita Iaponenſes primum, deinde & Sinenſes Chriſto adiungere conabantur. Primus qui rem grauiſſimam tentauit, Franciſcus erat Xauerius. Hic ex primoribus nuper exſurgentis Ieſuiticae ſocietatis pater tandem terra marique hinc inde iactatus, anno poſt milleſimum quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, ad ampliſſimum Sinenſium regnum acceſſit. Et tanto quidem cum ſucceſſu primum in India orientali euangelium de Chriſto praedicauerat, vt, ſi Ieſuitis fidem habeamus, ad centum vsque & quadraginta eccleſias hic condiderit, Indorum apoſtolus inde cognominatus, & ſuperiori ſaeculo in ſanctorum a Papa relatus ordinem. Paria fuerat & in Sinenſium prouinci-

Nouveaux Memoires du P. le Comte tom. II. p. 137. ſeq.

vinclis tentaturus, niſi ipſe haud ita multo poſt, cum in has regiones perueniſſet, in inſula Sanchiam, ad prouinciam Cantonienſem pertinente, viuendi feciſſet finem. Poſt Xauerium primus e ſocietate Ieſu pater Michaël Rogerius anno octogeſimo primo poſt milleſimum & quingenteſimum Chriſtum praedicaturus in Sinam ingreſſus eſt, quem annis duobus poſt ſequebatur Matthias Riccius, qui non voce minus quam ſcriptis chriſtianorum dogmata Sinenſibus reddere familiaria adgreſſus eſt, edito poſt tot Ieſuitarum lucubrationes diurnas nocturnasque, poſt repetita cum tot praecipui nominis litteratis colloquia & diſputationes, poſt ſeuera librorum tum veterum tum recentiorum examina, in publicum orbis Sinenſis de chriſtiana religione opere, duobus conſtante voluminibus, quod ille *Tien bio xey*, quod idem eſt, ac ſi *caeleſtis doctrinae veram rationem* dicas, inſcribebat, annoque ſalutis noſtrae ſeſqui milleſimo centeſimo tertio in ipſa imperatoris aula euulgabat. Poſt Matthiam Riccium nominis maximi celebritatem ex hoc eodem negotio eſt conſecutus Ioannes Adamus Schallus, gente Germanus, qui inter difficultates maximas vrſit tamen conuerſionis Sinenſium opus cum ſucceſſu praeſtantiſſimo, adeo quidem, vt chriſtianiſmum multis perſecutionibus ad incitas fere redactum, & plane ſuppreſſum, apud Sinenſes feliciter reſtituerit. Vt Ieſuitas magno numero alios, quorum a Franciſco Xauerio vsque ad annum octogeſimum ſextum ſaeculi praeteriti recenſum inſtituit Philippus Cupletius, taceamus. Cum vero Ieſuitae ſoli tantae rei per tempus bene lon-

Philip. Cuplet. tab. chronolog. Monarchiae Sinicae. p. 87. 88.

Confut. Sinar. Philoſoph. *Proemial. declarat. paragr XII. p. 107.*

Editus eſt hic catalogus Pariſiis 1685.

bus, vt plurima dicerent fingi ab ipſis, mendaciorum impudentibus architectis, maiori licentia, quod ex locis tam diſſitis, ad quae nullus noſtratibus patet aditus, quae ipſis comminiſcendi libido eſſet, referre poſſent. Recte vero pronuntiaſſe viros perſpicacisſimos, mox patuit. Simul ac enim aliarum familiarum religioſi rationem Ieſuitarum, qua homines conuertebant, attentius conſideraſſent, ſtatim illis de agendi modo, quo vtebantur, mouebant controuerſiam, Romae quoque ad Papam eos deferentes, quaſi qui miſeros mortalium ipſi peruerterent potius, quam veritate caeleſti imbuerent.

Non eſt huius loci ea, quae peruerſiſſimas ipſorum artes atque enormia flagitia continent, adferre in medium omnia, quaeque, eos non rem Chriſti ſincere agere, ſed vt opes ſibi atque honores adquirant, manifeſtis euincunt argumentis. Iſtud ſufficiat ſaltem adduxiſſe, accuſatos fuiſſe Ieſuitas, ipſos recens conuerſis cultum Chim Hoam idololatricum permittere, de Chriſto vero cruci adfixo aliisue ſacratiſſimis fidei myſteriis vel nullam vel rariſſimam inferre mentionem, ſubueritos nempe, ne hac oratione teneri audientium animi offenderentur. Praeterea concedere ipſos, vt chriſtiani Sinenſes defunctis ſuis atque in primis Confutio, ſummo, vt memorauimus, apud eam gentem philoſopho, praeſtarent cultum, vnde ad religionem chriſtianam nihil inde fieri acceſſionis, ſed foedam potius cultus chriſtiani & gentilis introduci permixtionem in aperto ſit. Pateret hic mihi de Confutio differendi campus ampliſſimus, niſi eumdem & iam decur-

Digitized by Google

In Oratione ſuperiori de controuerſia circa cultum Confutii p. 9. ſeqq.

decurriſſem alibi, & iam haec vobis, auditores eruditiſſimi, opinarer eſſe notisſima. Erat Confutius ſeculo ante Chriſtum natum ſexto apud Sinenſes philoſophus, in tanta & dum viueret, & adhuc hodie, auctoritate, qualem paucisſimi mortalium in vllo terrarum angulo adhuc dum ſunt adſecuti. Hunc viuum ſupra alios omnes ſapuiſſe homines audacter adſeuerant, nec deſunt, qui Confutium aiant verbum praeuidiſſe carnem aliquando futurum, idque ſpe non praecipiſſe dubia, ſed adcurate definiviſſe, annumque, quo futurum id eſſet, occaſione animalis rariſſimi, quod Kilin nomine apud Sinenſes notum eſt, capti & occiſi, in cyclo Sinico cognouiſſe. Eminentisſimum hunc philoſophum ſingulis annis in ciuitatibus, vbi litteris locus eſt, peculiari cultu deuenerantur, ſacrificia eidem, veluti Deo cuidam, offerentes. Circa hunc Confutii cultum, caerimoniasque alias, quibus adſueti Sinenſes ſunt, orta inter Ieſuitas & Dominicanos praecipue grauiſſima lis eſt, cum idololatriam Ieſuitas chriſtianis nouis permittere dicant Dominicani, illi autem nulla id ratione probari poſſe contendant. Quamquis vero, vt, quid veritatis accuſationi huic ſubſit, manifeſtum fieret, ex congregatione de propaganda fide anno elapſi ſaeculi quadrageſimo quinto Martinus Martinius, comite Proſpero Intorcetta in regnum Sinenſe mitteretur, ipſeque per aliquot annos ibidem locorum conſiſteret, oportunamque ſatis omnia induſtrie perſcrutandi haberet occaſionem; cum tamen & illi ſocietatis Ieſuiticae eſſent membra, atque adeo viderentur non extra partium ſtudia

Martinius Hiſtor. Sinic. lib. IV. p. 149.

dia poſiti, vix erat, vt ipſorum quoque rationibus tuto aliquis inniti poſſet.

Equidem anno iam memorato pontificium decretum mittebatur in Sinam, quo cultus ille prauus, quem adhuc vsque Ieſuitae in chriſtianis Sinenſibus tolerauerant, ſevere prohibebatur; ſed vix vndecim erant elapſi anni, cum Ieſuitae decretum ſibi compararent papale, quod ſuperiori illi plane ſtatuebat contraria. Ita varia fortuna, ſed acerrimis vtrinque odiis, lis illa Ieſuitas inter & Dominicanos tum in Europa, tum feruentiſſime in ipſa Sina fuit diſceptata. Res illa Sinenſium imperatori non poterat eſſe ignota, qui motuum horum pertaeſus diſputantes & Dominicanos & Ieſuitas, Pekini & Cantone, anno ſexageſimo quinto, in carcerem coniici curabat, e quo non niſi poſt ſexennium liberabantur. Verum Ieſuitae tam callide ſuis proſpiciebant rebus, tamque indefeſſi pro ſe atque honore ſuo nitebantur, vt demum, quod nemini eſt ignotum, regio edicto anno nonageſimo ſecundo omnia in Ieſuitas iura & priuilegia, quibus gaudent incolae ipſi, conferrentur, permiſſa quoque ipſis libertate ampliſſima religionem quaquaverſum propagandi chriſtianam. Hic videbatur orbis chriſtianus multum debere Ieſuitis, quod in vaſtiſſimo imperio, poſt tantas conflictationes, quas cum infidelibus ſubinde habuerant, poſt tot innumeras difficultates, feliciter ſuperatas, chriſtianae fidei ſuis conſiliis, ſuis laboribus & incredibili fere agendi ſolertia, tutum procuraſſent receptum. Sed novae continuo Ieſuitis mouebantur controuerſiae, quod in grauiſſimo hoc nego-

Fr. Philippus *Act. de Sinenſium ritibus Polit. Pariſ.* 1707.

negotio grauiſſimo ſe obſtingerent crimine. Eſt inter Ieſuitarum aduerſarios vnus ex praecipuis Carolus Maigrotius, Dominicanus, qui vt erat anno nonageſimo tertio in prouincia Fokienſi vicarius apoſtolicus & epiſcopus Cononenſis, ita a ſuis fratribus facile ſe perſuaderi patiebatur, vt edictum in vulgus emitteret, quo variis ritibus, a Ieſuitis adhuc toleratis eo vsque, chriſtianis nouis interdicebatur, dum omnia pontifici Romano rite expoſita eſſent, ipſeque quid ſequendum ſit in poſterum, auctoritate pontificia ſanciuiſſet.

Introd. in hiſtor. hodiernam Germ. edit. parte IIX. p. 726.

In Europa vero quam maxime recrudeſcebant hae controuerſiae, cum Ludouicus le Comte, ex ordine Ieſuitico pater, & regis Galliae mathematicus, ex Sina in Galliam reuerſus librum commentarium ederet, in quo litteris ad perſonas ſumma dignitate exſplendeſcentes perſcriptis, quis ſtatus ſit Sinenſium recentiſſimus, percenſet. Dici enim vix poteſt, quam multos ille liber inuenerit aduerſarios, & quot pater ille, quantorumque errorum, quos ipſe in hoc libro, a ſe condito, palam proponeret, fuerit accuſatus. Ieſuitae, cum violentum adeo impetum in ſe fieri ſentirent, & ad defendendum ſocium ſuum, & ad adſerenda ſua dogmata non ſegnius ſe adcingebant, propulſantes a ſe criminationes grauiſſimas, quas tamen rectisſime in illos coniici viri tot alii, non eruditione minus quam auctoritate eminentes, adſeuerabant. Atque haec omnia contingebant praeſertim in Gallia. Sed ad papam haec demum deferebatur quaeſtio, iudicem controuerſiarum, in rebus fidei ortarum, vniuerſalem infallibi-

vide Orationem ſuperiorem p. 24.

libi-

libilemque. At vero cauſſa haec intricatiſſima delicatiſſimaque bonum hunc patrem admodum reddebat ſollicitum, animumque eius anxium hinc inde in partes diſtrahebat varias. Accuſabantur Ieſuitae, horrendorum criminum execrandorumque errorum, gens ſibi in primis dilecta, quam ſedes Romana vt pote ſibi vtilisſimam penitusque deuotam, ad ſaeculum cum dimidio tam tenere iam fouerat, & in qua robur exercitus ſui conſiſtere, facile animaduertit; ſed ab altera parte accuſatores aderant, viri rerum intelligentes, dignitate graues, & ingenti argumentorum pondere depugnantes. Ieſuitae obiectata ſibi crimina vel negabant vel emolliebant, & tantum ad conflandam ſibi in Europaeo orbe inuidiam a maleuolis excogitata eſſe, arguebant; ad ipſum Sinenſium imperatorum prouocantes, qui non declaratione tantum ſingulari diſertim teſtetur, recte ſentire Ieſuitas de cultu Confutii & ritibus Sinenſium caerimoniisque aliis; ſed & edito edicto publico agendi modum, quem huc vsque ſocietas Ieſuitica tenuerat, prolixe adprobauerit. Sed contra ea perſiſtunt in accuſando aduerſarii, nihil a ſe confingi, nec niſi quod res eſt, Ieſuitis obiici adſeuerantes.

Lettres des peres de la compagnie de Ieſu à nôtre St. pere le pape Clement XI. dans les Nouvelles de la republ. des lettres Avril. 1702. p. 464.

Qui etiam adiiciunt, in eo ipſo, quod imperatorem Sinenſem, cauſſae ſuae aduocant patronum, parum illos inuenire praeſidii; prudentioribus fraudes ſolerter fallentium, facile animaduertentibus. Quos inter Marius Labbeus deſignatus epiſcopus Tilopolitanus exaratis ad papam litteris prolixioribus, & maximam neceſſitatem adeſſe, cur ſine mora ſuperſtitiones Sinenſium ſint condemnandae, & circa de-

Dans la lettre au pape ſur le Certificat de l'empereur de Chine à Anuers 1702. Nouvelles de la republ. des lettres Iuillet. 1702. p. 23.

clarationem imperatoris multa requiri poſſe, nec eam omni exceptione maiorem eſſe, ſcitiſſime facundiſſimeque demonſtrat. Primum enim eamdem nec imperatoris ſubſcriptione, nec ſigillo fuiſſe munitam, nec epiſcopi Pekingenſis teſtimonio roborari; ſed a Ieſuitis duntaxat Europaeis, ceu genuinam & veram, venditari. Annon vero metuendum ſit, tralationes, quas paſſa in lingua Tartarica, Latina, Italica, Gallicaque ſit, multas ipſi adtuliſſe mutationes? Quis de cetero praeſtabit, imperatorem, quantumuis id conaretur, omnem rei ſeriem recte percepiſſe? Quis praeſtabit, Ieſuitas verſionem eius concinnaſſe accuratam? Sed ſi faciamus, recte ſe circa hanc declarationem habere omnia; quanti roboris erit petitum inde argumentum? Idem profecto hic contingere, ac ſi olim Iudaei, de honoribus ſtatuae Nebuchodonoſaris perſoluendis diſcrepantes hoc ex principe ſciſcitauerint, honores illi num ſint ciuiles, num religioſi? Aut ſi chriſtiani ſuper carnibus, quas idolis immolauerant gentes, aliquod a Tiberio Caeſare teſtimonium expetiuerint, quibus, nihil peccari, iisdem ſi veſcerentur, confirmarent. Ipſam declarationem confuſam eſſe molem, variisque narrationibus, litterarum fragmentis, reſponſionibus, terminisque obſcuris & ambiguis, conſtantem, difficulterque intelligi poſſe. Nec ibi de animalium immolatione, nec de eorumdem ſacrificali oblatione, nec de ſolemni ad viſcera eorum condenda inſtructo agmine procedentium ingreſſu, aliisque pluribus momenti maximi capitibus, fieri mentionem. Quaerunt ab impera-

peratore Ieſuitae; annon cum vero conueniat, cultum Confutio tribui ad demonſtrandum ipſi gratum ob benefacta ſua erga gentem hanc animum? Sed quis hac de re dubitauit vmquam? & quis neſcit, idololatriam omnem, qua orbis olim vniuerſus laborauit, Aegyptiorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum, Romanorum aliorumque populorum ex eodem fonte ſua hauſiſſe primordia? Et certe quaeſtiones a Ieſuitis tam aſtute imperatori eſſe propoſitas, vt non niſi ex deſideriis illorum potuerit reſpondere. Id tamen euinci ex hac declaratione poſſe, quidquid per eamdem nec deſtruatur, nec elucidetur, tacite a Ieſuitis adgnoſci atque concedi.

Quid iam pater ſanctiſſimus? vt litem hanc recte poſſet diiudicare, neceſſitatem ſibi videbat imponi, virum aliquem prudentem in regiones has mittendi longinquas, qui quae in iisdem gererentur, ſuis ipſe intueretur oculis, & in rem omnem diligentiſſime inquireret. Degebat tum temporis Romae Carolus Thomas Maillardus de Tournon, ex Pedemontio oriundus, abbas, vir annorum nunc quadraginta ſeptem, cuius cum papa Romanus praedicari audiret virtutes ſingulares, eumdem ſub vicarii generalis nomine ad Sinenſes ſtatuit mittere, auctoritate inſtructum ampliſſima, qua litigia apud Sinenſes feliciter componeret, cultumque ſacrum ex mente ſedis apoſtolicae definiret. Mittitur ergo anno ſeculi huius ſecundo, vtque eo maiori emicaret dignitate, eidem non tantum papa titulum patriarchae atque archiepiſcopi Antiocheni adſignat;

La Clef du Cabinet des Princes, Octobr. 1707. p. 258.

d. 9. Decemb. 1701. Nouvell. de la republiq. des lettres. Avril. 1702. p. 464.

1702.

1707. ſed eumdem poſtea anno ſuperiori ſeptimo in cardinalium ordinem adſciſcit, legatumque ſuum a latere apud Sinenſes eſſe iubet. Ceterum antequam quid vel Tournonio factum ſit, vel quid ille apud Sinenſes rerum agat, apud nos in Europa cognoſceretur, Romae ad nos perſcribebatur, ſancti officii, quod dicitur, congregationem ſententiam demum ſuam circa Confutianum chriſtianorum cultum, & quae huc pertinent, pronuntiaſſe; ſed quam ſigillo ſtatim munitam pontifex Romanus ad Tournonium, vicarium ſuum, in Sinam mitti praeceperit, cui & ex hoc decreto diſponere omnia iniunctum ſit. Sic ergo anceps haerebat orbis, adhuc ignarus, in quam partem oraculum Romanum definiuiſſet.

d. 20. Novembr. 1704.

Memini, cum ante annos hos tres ex Anglia atque Belgio redux Coloniae Agrippinae in aliquem Ieſuitarum diſcipulum incidiſſem, decretique huius mouiſſem mentionem, illum iuxta Ieſuitas Romae pronuntiatum fuiſſe, iactaſſe, atque hoc patres Ieſuitas, hac de re Roma certiores factos, ſe docuiſſe. Ita quidem Ieſuitae ſibi adplaudebant vel quod papam fauere ſibi optarent, vel quod eumdem nihil ſibi denegare poſſe, fiducia erga pontificiam ſedem meritorum ſuorum, ſibi perſuaderent. Mox tamen hinc inde diuulgabatur, ſententiam Romanam contra Ieſuitas cecidiſſe; vnde & ex ſocietate hac miſſionarios, e Sina Romam venientes, iſthuc noluiſſe reuertere, niſi pontificis prius ſententia ipſis eſſet publicata. Interea in vulgus prodebat ſocietas, monarcham Sinenſem edictum euulgaſſe regium, quo ſeuera propoſita poena interdixerit, ne ad

Fama Europaea part. LXIV. p. 701. 702.

Digitized by Google

ad conuertendos ad chriſtianam religionem ſubditos ſuos alia ab vllo adhiberetur methodus, quam qua e ſocietate Ieſu patres adhuc vsque vterentur; retenta ſimul philoſophia Confutii. Sed ad Tournonium reuertendum eſt. Hic vero feliciter adpulerat in regnum Sinenſe, & iam in eo erat, vt quae erant data ſibi in mandatis, ſtudioſe exſequeretur. Verum conatibus neutiquam reſpondit euentus. Corte fama aliquando per orbem noſtrum diſſipabatur, Tournonium hunc, cum ipſe cultum diuinum Sinenſium idololatria contaminatum eſſe, deprehendiſſet, & propterea eumdem ex eccleſia illa profligare vellet, ab imperatore Sinenſi, hac de re edocto, capite fuiſſe ſpoliatum; multis exercitae aduerſus pontificium hunc legatum ſummae crudelitatis cauſſam ad Ieſuitas referentibus. Verum certiora deinde de hoc viro, relationibus ex vrbe Roma, nobis ſunt nuntiata, videlicet, viuere adhuc Tournonium, non potuiſſe tamen, quae erant ipſi commiſſa, expedire commode; atque non ſine magna iniuria reuertendum ipſi fore in patriam. Fuerunt, qui Roma ſcriberent, adlatas ex regia Pekinga fuiſſe litteras, vniuerſam totius rei ſeriem exponentes. Cum enim, quae Ieſuitas inter aliosque miſſionarios ferueret pugna, cognouiſſet imperator Sinenſis, congregationem eumdem rituum inſtituiſſe, idque factum eo tempore eſſe, cum Tournonius decretum, quod erat contra Ieſuitas, iam publice adfigi vbique locorum curauiſſet. In hac congregatione cardinalem hunc & legatum pontificis a latere ſimul cum Maigrotio epiſcopo Cononenſi atque vicario pontifici-

Lettr. hiſtoriqes Marcb. 1708. p. 294.

Introd. in hiſtor. hodiern. Germ. edit. part. IIX. p. 724.

mus, quae dum bona fide vobis, auditores venerandi, recenſui, vellem nunc, ſi votis locus eſſet, veſtras de cauſſa hac vniuerſa percipere cogitationes. Haudquaquam enim dubito, vobis, pro ingenii veſtri perſpicacia, plurima, dum verba ego facio, his de litibus veniſſe in mentem. Quid tamen ego ſentiam, niſi taedioſa vobis mea accidat oratio, breuiter vobis ſum expoſiturus. Primum vt laude digniſſimum eſt, populis, ſpiſſis ignorantiae tenebris inuolutis chriſtianae fidei praeferre lucem, ita Ieſuitis, vtcumque nec rerum ſcientia, nec agendi dexteritate, nec animi confidentia deſtitutis, hoc demandare negotium, res mihi videtur eſſe periculoſisſima, & non niſi triſtiſſimum euentum habitura. Quid ſuis enim miſſionibus & in Aethiopia & in Iaponia alibique locorum effecerint, eſt in propatulo. Quantumuis enim ab initio progreſſus in adducendis ad eccleſiam Romanam hominibus, non plane fecerint nullos, mox tamen, cum, quales ſint, oſtenderent, tantos excitarunt in conuerſos perſecutiones, vt non tantum eiecti fuerint ipſi, ſed & religioni chriſtianae plerisque in locis aditus omnis fuerit praecluſus.

Cum ante annos plusquam viginti magnus Ieſuitarum numerus Tachartum, e Gallia Ieſuitam, comitaretur in regnum Siamenſe, erat vir valde prudens, cuius hac de expeditione differentis excepta a nonminus viro prudente vox eſt; multos iam per annos miſſionarios, quos vocant, eccleſiae ſuae ſaeculares tranquille admodum viuere in Siamenſi regno, nec, pro ea, quam ſequerentur, viuendi ratio-

Mr. de la Croze, *Diſſertat. hiſtoriq. ſur diuers ſuiets. p. 310. n. 3.* quo habentur *Recherches hiſtoriq. ſur l'état de la Religion chrétienne. p. 310.*

tio-

Digitized by Google

tione, eſſe aliquid, vnde ſibi metuerent; ſed nunc cum illuc abirent Ieſuitae, iam ſe certiſſimam eo in regno chriſtianiſmi proſpicere ruinam. Nec omen hoc fefellit euentus. Haud enim diu poſt, cum Ieſuitae perturbarent omnia, in exilium acta cum Ieſuitis ibidem eſt religio chriſtiana. Quidquid glorientur Ieſuitae, & quaecumque ſibi adſcribant miracula, tantum non omnia conficta eſſe, quis eſt naris tam obeſae, qui non animaduertat? Vt proinde ſummo cum iudicio a congregatione de propaganda fide prohibitum Ieſuitis ſit, ne amplius in lucem emittant publicam epiſtolas annuas, de rebus a ſe in miſſionibus ſuis peractis, eo quod mendaciis ſuis, quibus erant repletiſſimae, offenſionem vbique in animis hominum parerent. Quamquam & nunc ipſi confitentur Ieſuitae, miracula in regno Sinenſi non eſſe tam vulgata, quam rerum conditio videretur exigere. Qua de re ipſe Le Comte haud inelegantem litteris conſignauit ſermonem, quem de miraculorum defectu cum imperatore Sinenſi, miracula a noui dogmatis doctoribus poſcente, habuerint Ieſuitae, impotentiam ſuam, prout poterant, hac in re excuſantes. Et in vniuerſum quid, quaeſo vos, ab illis hominibus ſperari ad illuminandos in fide homines nondum conuerſos poſſit, qui quorſumcumque perueniunt, intolerabilem in mentes inuehunt dominatum, inſontes quam maxime inquiſitionis horrendae ſubiiciunt ſaeuitiae, plusquam puerilibus ſuperſtitionibus, quas non poſſunt non reſpuere ſapientiores, replent omnia, nec vel ad lectionem ſanctarum ſcripturarum conuerſos admit-

Hiſtor. Cultus Sinenſ. p. 145.

Le Comte *dans les Nouveaux Memoires ſur l'etat preſent de la Chine. p. 218.*

mittentes, nec eoſdem ſolidiori rerum diuinarum notitia imbuentes. An putamus, miſeros homines proficere aliquid ad veram pietatem poſſe, vbi cultus diuinus in lingua peragitur ignota?

Rem ſingularem refert Philippus Cupletius, Ieſuita, qui & ipſe miſſionem in Sinam ſuſtinuit per tempus bene longum, ex qua, quid Sinenſes ex conuerſione ſua lucrentur, exiſtimari poteſt. Poſt longum, inquit, laborem eo tandem peruenire Sinenſes, vt inſtitutionis ſacrae verba, *hoc eſt enim corpus meum*, hunc in modum pronuntient: *Ho ke nge ſu ta nge nim co ul pu ſu me um:* quae verba ſi ſcribantur, & pronuntientur in lingua Sinenſi, Latine ſignificent: *Fluuius, occiput, res, adſequi, labor, quies, quisque, tu, non, ſeruus, pulſus, Dominus.* Multumne vero ad aedificationem facit, quando Sinenſes verba haec audiunt pronuntiari, maxime ſi de efficacia, quam illis tribuunt, ſint probe edocti? Adiiciam ſpecimen aliud, vnde facile perſpiciemus, quid praeſtent egregii e ſocietate hac famoſiſſima miſſionarii. Edidit hic ipſe Coupletius, quem modo nominaui, mulieris Sinicae, ad fidem chriſtianam conuerſae, & cuius ipſe conſcientiam rexerat, hiſtoriam, in qua, quum ſingularem eius pietatem magnifice depraedicet, inter alia eam multum celebrat, quod ſanctum Ignatium, ſanctum Franciſcum, ſanctum Xauerium, ſanctam Candidam, cuius ipſa nomen portauerit, ſanctam Monicam, ſanctam Vrſulam eiusque ſocias, praecipuo pietatis cultu ſit proſequuta. Tam viuam fidem erga aquam benedictam, cruces, agnos Dei, cineresque ramorum benedictorum reliquiasque

Mr. de la Croze *dans les Diſſert. hiſtoriq. ſur diuers ſuiets. p.* 320.

Philip. Couplet. *L'Hiſtoire d'une Dame chrétienne de la Chine. p.* 78. *&* 131.

que habuiſſe, vt haec omnia veluti theſauros & vniverſalia quaedam contra mala omnia remedia fuerit venerata. Egregiam ſane pietatem, egregiamque fidem, ad quam Ieſuitae infideles perducere ſatagunt! Sanctus Ignatius, ſancta Vrſula, aqua benedicta, agnusque Dei & huius generis alia tam ſanctos impellunt viros, vt tot ſubire pericula, tam ſpatioſa maria transmittere, tam diuturna itinera inire haud reformident; quod quid eſt aliud, quam nouum paganiſmum veteri Sinenſium flagitioſe ſubſtituere? Annon conueniat in illos, quod de phariſaeis priſcis Chriſtum dicere nouimus, terram illos & maria percurrere, vt faciant proſelytum, quumque aliquem fecerint, illum gehennae filium reddant duplo maiorem, quam ſint ipſi. Facile autem ex his omnibus intelligitis vos ipſi, auditores, Ieſuitas ſemper & vbique eſſe Ieſuitas, nunquam deſciſcere ab ingenio ſuo, nunquam abire ab indole ſua; ſic vbicumque ſunt, veluti immiſſis furiis, perturbant omnia, ſic pernicioſis machinationibus peruertunt omnia; ſic & ad ruinam denique moeſtiſſimam perducunt omnia; vt profecto, ſi ſordes hae hominum expurgari & dimoueri ratione aliqua ex orbe poſſent, mortalium rebus haud mediocriter conſuleretur.

Matt. XXIII, 15.

Sed quo animo nos dicamus nunc eſſe pontificem Romanum, quo moerore eum credimus adflictum profligatumque? Tam foede habitum eſſe legatum ſuum a latere, quid poſſet excogitari ſceleroſius? Et quid cardinalitiae fiet purpurae, tam indignis modis excruciatae, tam indignis modis repudia-

diatae? Crediderim, purpuram ipſam cardinalitiam rei indignitate iam expalleſcere, & multum gemere, tanto dedecore ſe eſſe adfectam. Quid Ieſuitis, cariſſimis filiis ſuis, ſed nunc decretis ſuis proterue obluctantibus, & ſaluberrima ſua conſilia effronti petulantia interuertentibus eludentibusque, faciet papa? Quo ſolatio eriget fratrem purpuratum, non longinquo tantum itinere pene confectum, ſed a papae emiſſariis tam ignominioſe quoque tractatum? Quis diſciſſam eccleſiam Sinenſem reſarciet? Quis infenſos Ieſuitarum Dominicanorumque animos conciliabit? Quis diſſolutos coniunget? Quis ſublapſas eo in regno eccleſiae res reſtituet? Quis ibi religionem chriſtianam, idololatrico cultu foede deturpatam, emundabit? Quis haereticorum, quam inde ceperunt offenſionem, amolietur? Quomodo ſacroſancta pontificis poteſtas ſeruabitur deinceps incolumis? Videant de his omnibus, ad quos iſta ſpectant propius; mihi enim ſunt peragenda nunc alia; & iam dudum valde vereor, ne videar nimis vobis longus fuiſſe in diſſerendo. Quare vt, cuius rei gratia acceſſi in hunc locum, expediam, indicandum vobis eſt, auditores, me ex hac cathedra, quod ſupra iam innui, in poſterum ſanctam traditurum eſſe theologiam.

Quod itaque felix fauſtumque, & eccleſiæ almaeque huic academiae ſalutare ſit, munus a potentiſſimo ſereniſſimoque Suecorum monarcha, CAROLO XII, principe ob incomparabiles virtutes admirando, mihi clementiſſime impoſitum hodie ingredior. Vellem autem iſta me in ſacris pol-

lere eruditione, vt tanti principis voluntati reſpondere exacte valeam. Quantillum vero id ſit, quod in me eſt, id vero ad communem ſtudioſorum vſum conferre ſummae mihi erit ſemper voluptati. Interim precibus meis benigniſſimum numen defatigare non deſinam, vt regem hunc inclytiſſimum cum tota regia gente rebus omnibus florentem perpetim conſeruet. Iubeat ipſum Deus ſub clypeo defenſionis ſuae eſſe tutisſimum; auertat a ſacris ipſius lateribus, quidquid inferre poteſt noxam; ſuppeditet ipſi conſilia ſapientia & fortia, conſiliis elargiatur felices vbique ſucceſſus, & arma herois huius ſine pari iubeat contra omnes hoſtes eſſe ſemper victricia. Oſtendat iuſtiſſimam regis cauſſam, vbiuis terrarum iniquiſſimos ſuos euertere hoſtes. Exhorreſcant ſemper & obſtupeſcant ad nomen hoc venerabile, qui tantae ſapientiae, tantae fortitudini, tantae continentiae, tantae denique iuſtitiae cupiunt male; reducat princeps inuictiſſimus demum exoptatisſimam pacem, vt profligato proſperrime bello, & adeptis longe clarisſimis victoriis, nominis etiam celebritate per vniuerſum orbem ſibi comparata, pace atque tranquillitate beatisſima perfruatur, terror hoſtium, amicorum praeſidium, ſuorum denique ſuaue delicium ſubditorum.

Vobis autem, Rector magnifice, vosque viri excellentiſſimi, cum debeam, quod hoc conſiſtere in loco conſpiciar, quidni id adgnoſcam gratiſſimus? Et tibi quidem ante omnes, Procancellarie ſplendidisſime, eo me nomine adgnoſco eſſe deuinctisſi-

Digitized by Google

ctisſimum, quod me, hominem in his oris fere ignotum, venerando veſtro coetui commendare ad profeſſoris theologiae munus obeundum amicisſime, beneuolentisſimeque ſuſtinueris. Nulla non honoris ſignificatione vbique ſum declaraturus, eſſe mihi animum gratiarum perſoluendarum cupidiſſimum; nec vllam praetermiſſurus occaſionem ſum, qua quantopere te venerer, tibi oſtendam. Sed & vobis, viri celeberrimi, pro inſigni erga me amore veſtro, ſincerum contra polliceor ſemper amorem, amicitiamque nullo non tempore argumentis certisſimis demonſtrandam. Obſecro autem vos, amici exoptatisſimi, ne dedignemini me, hominem quamuis hic peregrinum, nec praeter bonam voluntatem vlla re commendabilem, veſtro me proſequi amore; quo maius in me conferre non poteritis beneficium. Iuuate me veſtris conſiliis, monitis veſtris inſtruite, ſtimulisque veſtris & exemplo me ſubinde reddite alacriorem.

Vobis vero, vt vos etiam adloquar, iuuenes ingenio florentiſſimi, quid poſſum promittere, niſi animum ad inſeruiendum vobis promtiſſimum? Quidquid mihi virium largietur diuinum numen, quidquid conſequi poſſum induſtria mea, quidquid iam ante mihi comparaui vel eruditionis in bonis litteris & in ſacra theologia, vel experientiae, id vniuerſum ſemper veſtris patebit vſibus. Gaudebo mihi, ſi vos ad veram eruditionem, ſi ad ſinceram pietatem, ſine qua eruditio omnis nulla eſt, per vos mihi liceat adducere. Complectar vos amore paterno, ſtudia veſtra, quantum poſſum, conſiliis iuuabo meis,

is, ac ducem me atque comitem & in ſana doctrina conquirenda, & in vita ſancte tranſigenda vobis praebebo. Ex aduerſo a vobis animum mihi beneuolum, beneque de me opinantem, & aduerſus bene monita morigerum, cultumque & odedientiam, quam veſtris debetis praeceptoribus, mihi ſpondeo ſtipulorque; ita vero nunquam vos poenitebit, ſcholis vos meis dediſſe operam, praelectionibusque interfuiſſe meis. Sed ad te, denique, quod primum eſt omnium, confugio, Deus ter optime maxime, ſalutis meae & temporalis & aeternae ſtator & conſeruator benigniſſime; ſanctiſſimoque tuo nomini aeternas nuncupo gratias, quod inde vsque a puero me clementer foueris, & per vias mirificas huc vsque deduxeris. Quis ego ſum? et quid tibi retribuam, Deus? Adgnoſco te eſſe patrem meum clementiſſimum, & adoro te corde ſubmisſiſſimo ante te proſtratus. Tuum nomen ſit knowledgeioſum per omnium ſaeculorum decurſum. Te autem, pater caeleſtis, obſecro atque obteſtor, vt me huic muneri praefectum, ſed longe imparem, caeleſti tua gratia praeuenias, ſubleues, augeas, atque in inſtrumentum effingas tuum, quo tua eccleſia cum fructu vtatur. Illumina obtenebratum meum intellectum ſapientiae tuae radiis, da, vt ſpiritu tuo ſancto edoctus ſciam diuina tua myſteria, eaque poſſim communicare iterum cum aliis, meae curae concreditis; ſanctifica adfectiones meas, innoua voluntatem meam, eamque ad perpetuam aduerſus praecepta tua dirige obedientiam. En! offero me tibi ipſum; tuus ſum totus; tu per me ipſum labora & effice per me, vt nominis tui honor creſcat, ſtudioſae iuuentutis promoueatur ſalus, & ad poſteros vsque cognitio vera & ſalutaris feliciter atque conſtanter propagetur.

Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad

Digitized by Google